



# Disputatio juridica inauguralis de actionibus bonae-fidei

<https://hdl.handle.net/1874/343259>

34

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
ACTIONIBUS  
BONÆ-FIDEI,  
SIVE AD

§.§.§. 28. 29. & 30. Institutionum de Actionibus.

QVAM  
PRÆSIDE TRI-UNO DEO.  
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ  
Medicinæ, Anatomes, & Botanices Professoris Ordinarii,

UTE T

Amplissimi Senatus Academicî unanimi consensu, Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &

Privilegiis ritè ac solenniter consequendis,

Publico Fctorum examini proponit ventilandam

SUFFRIDUS DE BUCQUOY, FRISIUS.

Ad diem 9. Februarii, horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ic LXXXVI.

*Clarissimo, Consultissimo, omni virtutis  
& eruditionis genere spectabili*

*V I R O,*

D. GERARDO NOODT, J.U.D.

Et in illustrissima Academia Trajectina Juris Antecessori Ordinario, viro impensè docto, Juris civilis ex imis fontibus, selectissimisque Antiquitatibus Interpreti vigilantissimo, locorum intertricatorum explanatori subtilissimo, Ut Jurisprudentiam pristino vigori & nitorि restitueret unicè incumbenti, præceptorи suo in stadio juridico unico, de se, studiisque suis optimè merito, ideoque perpetuo sibi cultu colendo, amando, observando

*Hanc Disputationem Inauguralem una  
cum humillimis officiis suis*

Offert, Dicat & Dedicat

SUFFRIDUS DE BUCQUOY.



## LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

**P**ostquam (habito juris examine) mihi, ab amplissima facultate Juridica, quadriga materiarum proposita esset, eveniebat idem, quod viæ ignaro ad bivium vel trivium si devenit, etenim

Ut stat, & incertus qua sit sibi nescit eundum,

Cum videt ex omni parte viator iter:

Sic, quia posse datur diversas scribere causas,

Qua ferar ignoro, copiaque ipsa nocet \*

Tandem elegi materiam de actionibus bonæfidei, materiam (si quæ in jure elegans sit) elegantissimam. In hac immensa dicendorum copia pictores mihi imitandos propo ui, qui, cum in exigua tabella plures sunt depingendi, quorundam tantum manus, quorundam tantum faciem, quorundam tantum summa capita (apto tamen omnia ordine disposita) adumbrant & penicillo exprimunt; sic & ego, cum omnia nec possim, nec velim dicere (cum non tam copia, quam modus in dicendo querendus sit & affectandus) multa siccō (quod ajunt) pede transiliam, non pauca tamen proponam & explanabo. In hujus materiæ explicatione hunc se-

A 2

quar

\* Ovidius libro 5. fastorum carmine 3. 4. 5. & 6.

guar ordinem, uti primò vocis actionis Etymologiam,  
Synonymiam, & definitionem tradam, tum de actioni-  
bus bonæfidei, earumque effectibus, & à strictis ju-  
diciis differentiis in genere differam, tandem ad spe-  
cies actionum bonæfidei procedam, cæque quibus, ad-  
versus quos, & ad quid competant, tum quæ in eis  
culpa veniat, ostendam. Atque hoc opus nostrum,  
hicce labor erit, Deus dummodo cæptis adspiret nostris,  
quod facturum spero, & submissè rogo. Duo sunt, quæ  
te ignorare (benevole Lector) nolui. Primum est, me  
hic tantum Theoreticam & Academicam proponere  
disputationem, unde non est, quod practica à me hic  
exspectes, neque ut multas Doctorum, Autorum ve-  
sentias proferam, eisque ea, quæ dico, confirmem,  
sed ex ipsis legibus omnia petita conspicies. Alterum  
est, quod hanc disputationem, non (ut vulgo fieri so-  
litum) in theses diviserim, sed in capita, eorum gra-  
tiā, qui totam disputationem legere nollent, uti statim  
ex capitum inscriptione videre possent, quid eo capite  
tractarem, & si unum horum capitum placeret, possent  
hoc tantum legere omissis cæteris. Quia autem quatuor  
prima capita ad hanc materiam in specie non pertinent,  
sed ad materiam actionis in genere, ideo capite quinto,  
ubi de hac materia Actionum bonæ fidei agere incipio,  
stylum ita institui quasi ibi disputationem demum inci-  
perem novâ factâ præfatione, ita ut præliminaria fa-  
cile a legentibus prætermitti possint. Hec te (Lector  
Benevole) monere volui. Rem ipsam aggredior in no-  
mine Triunus Dei, initium facturus, ab Etymologia  
vocis actionis, variisque vocis agere significatis.

D. I. S.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
I N A U G U R A L I S ,  
D E  
A C T I O N I B U S   B O N Æ - F I D E I .

C A P U T P R I M U M .

D E

O R I G I N E V O C I S A C T I O N I S E T V A R I I S  
V O C I S A G E R E S I G N I F I C A T I S .



\* *Ctio dicta est ab Agendo. Agere autem multa significat. Agere aliquando significat gerere seu administrare, sic dicitur agere tutelam pro gerere tutelam Authenticâ Adhac Cod. quand. mul. tutel offic. fungi pot. Sic dicimus agere Rempublicam, id est administrare Rempublicam legē 35. §. 8. ff. Ex quib. caus. major in integr. restit. Sic Agere Alexandria dicitur: Juridicus, pro Alexandria praesesse, aut urbem Alexandriam administrare lege 2. ff. de offic. Iurid. Aliquando agere significat habere, sic Prætor dicitur curam agere reprimenda improbitatis nastarum cauponum & stabulariorum lege 3. §. 1. ff. Nasu. camp. stabul. id est, habere curam, vel curare. Agere aliquando significat sustinere personam, sic dicitur quis in comedie agere, Hectorem, Ulyssem &c. id est sustinere personam Hectoris Ulyssis &c. Agere aliquando significat ducere, sic dicimus agere iumentum lege 7. ff. de servit. rustic. præd. lege 23. §. ff. d. verbor. signif. Agere significat aliquando vivere, sic filius dicitur peregrinè agere id est vivere lege 50. ff. famil. ercisc. sic Præses Provinciæ ubi delictum factum est dicitur scribere ad Collegam suum Præsidem istius Provinciæ, ubi delinquens agit, uti eum transmittat ad se lege 7. ff. de custod. &*

\* *Etymologia.*

A 3 in vag. lat. exhibit.

## 6 A DISPUTATIO JURIDICA

exhibit. reor. Aliquando *Agere* significat accusare, & accusationem institutam exequi & ad finem perducere lege 3. ff. Expil. hered. *Agere* etiam sæpiissimè significat facere, gerere, ut in *Authentica*. Ad hoc Cod. *Quand.* mul. *Tutel.* offic. fung. pot. in fine in voce agens, coque sensu dicit *Labeo* *Agere* generale verbum esse sive verbis quid agatur, sive re, ut in stipulatione & numeratione; gerere autem significare rem sine verbis facere lege 19. ff. de verbor. signific. Quæ distinctio subtilis sanè est, & non ubique observatur, ideoque aliquando voces hæ gesta, acta, facta conjunguntur ut in lege 2. §. 1. ff. de curator. bon. dando. & in lege 1. ff. de offic. Proc. cæs. Aliquando verbum *agere* significat idem quod tractare ut in lege 1. §. 3. ff. de partis lege 3. §. 2. ff. de jure fisci.

Et præterea plurimas alias significations verbum *agere* recipit, quarum quasdam insignis ille *Satyricus Martialis Attalum* quendam deridens his versibus expressit libro 1. *Epigrammatum*, se-  
ctione 79.

*Semper agis causas, & res agis, Attale, semper.*

*Est, non est, quod agas, Attale, semper agis.*

*Si res, & causa desunt, agis, Attale, mulas.*

*Attale, ne quod agas doṣit, agas animam.*

Ratio autem cur unum & idem vocabulum *agere*, tam multas significations recipiat nulla alia dari potest, quam quod ita cum rerum natura comparatum sit, ut plura sint negotia, plures res quam sint vocabula, leg. 4. ff. de prescript. verb. ideoque una & eadem vox multa sæpiissimè significata sustinere cogatur. Cum autem verbum *agere* tam multas significations recipiat, rectè hic quæri potest, quænam significatio hic ut maximè conveniens admittenda sit. Quidam existimarunt *agere* hic significare *ducere*, moti eo argumento, quod ex lege 12. tabularum poterat quis adversarium suum sibi obvium propriâ authoritate in jus vocare, & si is non iret, postquam antestatus esset, eum obtorto collo in *jusrapere*, seu *ducere*. Sed hanc significacionem huc non spectare, vel ex usu loquendi patet, nam quando vox *agere*, *ducere* significat, tum dicimus *agere aliquem in jus*, quando autem usurpamus vocem *agere*, pro ut hic usurpari debet non dicimus *age-  
re aliquem*; sed *agere cum aliquo*, quod ex infinitis locis juris no-  
stri

Itri patet ex lege 36. ff. famil. ercisc. lege 16. ff. defurtis. lege 1. §. 45. ff. depositi & aliis infinitis locis. Præterea reus non dicitur is qui agitur, sed cum quo agitur princ. Inst. de Except. lege 3. ff. de jurejur. Placet nobis sententia eorum qui verbum agere hic significare volunt tractare cum aliquo, colloqui cum aliquo, de re aliqua cum aliquo contendere, seu experiri, quam sententiam adjuvat Ulpianus egregius in lege 14. §. 3. ff. de prescript. verb. ubi hac verba extant: Si glans ex arbore tua in fundum meum cadat, eamque ego immisso pecore depascam, Aristo scribit, non sibi occurrere legitimam actionem, quā EXPERIRI possim: nam neque ex lege duodecim tabularum de pastis pecorum, quia non in tuo pascitur, neque de pauperie, neque damni injuria (sic enim Haloandrina habet editio, omissa vocula de) AGI posse: in factum itaque erit A G E N D U M. Primo dixerat Ulpianus experiri actione non posse, deinde illud verbum experiri per agi interpretatur. Sic similiter idem Ulpianus in lege 5. ff. de except. rei judicatae verbum agat, & experienter promiscue usurpat. Sic in lege 1. ff. de edendo Ulpianus verbum agere & contendere, & convenire promiscue usurpat. Sed hæc de origine vocis actionis dixisse sufficiat.

## C A P U T II.

## DE SYNONYMIS VOCIS ACTIONIS.

**A**Ctio sèpissimè judicium dicitur, ut in lege 47. ff. de negot. gest. lege 1. ff. de his qui effus. vel dejecer. lege 2. princ. §. 1. 2. 3. 4. & 5. ff. famil. ercisc. & passim in jure.

Aliquando actio dicitur persecutio, ut in Princip. Inst. de except. lege 178. §. 2. ff. de verbor. signif. lege 34. ff. de verbor. signif.

Aliquando actio, formula nuncupatur. lege 42. ff. defurtis Ulpianus in fragmentis titulo 19. §. 16. & titulo 25. §. 12. Aliquando actio litis nomine venit. lege 36. ff. de verbor. sign. lege 31. §. 2. ff. de negot. gest. lege 4. ff. de Judic.

Aliquando actio, intentio dicitur lege 1. ff. si mens. fals. mod. dixer. lege 67. ff. de judiciis. lege 9. §. 6. ff. ad exhibend. §. 33. & 34. Inst. de action. lege 12. ff. de exceptionibus. lege 2. ff. de except.

Actio-

## 8 DISPUTATIO JURIDICA.

Actio aliquando *petitio* dicitur. *lege 178. ff. de verbor. signif. lege 27. §. 3. ff. de rei vind.* quamvis inter actionem in specie dictam & petitionem multum interficit, uti mox dicemus.

Actio quandoque dicitur *convenio* *lege 45. ff. de rei vind.*

Actio quoque quandoque *controversia* dicitur *lege 25. §. 7. ff. de hered. petit. lege 1. & 2. Cod. de alim. pupillo præst.*

Dicitur *actio*, *Controversia*, quia, si controversia aliqua inter quosdam orta sit in tantum ut extra judicium, aut sine judicis viri boni definitione componi nequeat, actor, id est is qui petit judici per actionem petitionemque suam, controversiæ statum proponit, qui status controversiæ magis elucescit, cum reus actori responderit, quandoque judex ex intentione actoris, & contradictione rei cæperit causam (seu controversiam, litemve) cognoscere, id est quando lis contestata & judici exposita est.

Actio dicitur *conventio*, quia actor prius ad judicium reum provocat eumque convenit *lege 13. & 29. ff. de judic.* quæ conventionis seu provocatio simul ac facta est, sequitur actionis coram judice propositio, imo fit illa conventio actionis instituenda, jurisque experiundi causa *lege 1. ff. de in jus vocando.* Imo adeo immediate actio, conventionem sequitur, uti statim ac in jus ventum (antequam judicium instituatur, judexque a Prætore in jure detur) sit, actionis quâ actor agere volet editio fiat *lege 1. ff. de Edendo.*

Actio dicitur *Intentio*, quia actor per actionem judici quid intendat notum facit, unde is actor esse dicitur, qui habet intentionem, secundum id quod intendit *lege 12. ff. de except.* hoc est, qui habet actionem voluntati menti sententia & intentioni suæ exprimendæ aptam & idoneam.

Actio dicitur *Lis*, eadem ratione quâ controversia, nempe quod lis ab actore incipiat, & mediante actione lis eo perducatur, uti judex actoris intentione bene cognitâ, perspectâque rei contradictione, litem sententiâ suâ dirimere & terminare possit.

Actio dicitur *persecutio*, in actionibus in rem quidem propteræ quod actor rem suam, actione in rem persecutatur *lege 25. ff. de oblig. & action.* si pro actione in personam sumatur, forsitan ideo, quod quis rem sibi debitam, persecutatur, *§. 17. Inst. de actionib.*

*actionib.* aut ideo (quod magis probo) quia actio vix institui solet, nisi proposita primò intentione nostrâ ei, à quo quid petere volumus, uti is potius per amicitiam absque judiciorum strepitū impletat desiderium nostrum, ad quod implendum nobis jure obligatus sit, quod si is facere recusat, aut moretur, justum desiderium justamque petitionem nostram (saltem opinione nostrâ) actione nobis competente persequamur. Præcipue autem vox Persecutio pertinet ad ea, quæ extraordinario judicio pertinent, neque juris ordinarii executionem habent, ut fideicomissa *lege 178. §. 2. ff. de verb. signif.*

Actio dicitur *formula*, quia olim actioni formula addebatur hoc est præscribatur in jure formula, secundum quam actor actionem suam institueret, & secundum quam judex judicaret, comparatae enim formulæ erant (pariter ac legis actiones) adhuc ut homines actiones suas non prout vellent proponerent, sed ut secundum formulas solenniter inter se discepstant *lege 2. §. 6. ff. de origine jur.* idque non immeritè receptum erat, cum enim homines plerumque imperiti ad judicia accederent causas suas oratori, necessarium erat eis modum præscribi, & linguæ quasi frænum injici, ne multa in cassum dum proferrent, judicia strepitu personarent, confusiones maximæ oriarentur, & forsitan actores nimia verboitate sibi ipsis nocerent, saepe enim sit ut inter longum & quandoque non satis præmeditatum sermonem quædam excidant verba, quæ omisisse quam emisisse satius erat. De formulis autem alibi latius forsitan agemus.

Actio dicitur *judicium*, quia ea in judicio proponitur, de quo infra latius agemus.

Actio dicitur *Petitio*, quia, uti jam diximus, per actionem actor id petit, quod intendit. Ea tamen petitio actioni in specie dictæ opponitur variis juris in locis, Actio enim est in personam actio, petitio vero est actio in rem, uti appareat ex *lege 178. §. 2. ff. de verb. signif. lege 28. ff. de oblig. & act.* Hactenus de Synonymia vocis actionis dixisse sufficiat.

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

## C A P U T III.

## QUO ACTIONIS DEFINITIO TRADITUR ET EXPLICATUR.

**N**unc ordo & filum Disputationis nostræ exigit uti Actionis definitionem in medium proferamus. Licet enim definitio omnis in jure periculosa sit, & parum sit ut non possit subverti *lege 202. ff. de Reg. Jur.* Tamen Jurisconsulti varias & satis egregias definitiones in medium producere non erubuerunt, uti appareat ex definitione Nuptiarum *lege 1. ff. de nupt.* Sponsaliorum *lege 1. ff. de sponsal.* Doli mali *lege 1. §. 2. ff. de dolomalo.* Compensationis *lege 1. ff. de compensat.* Stipulationis *lege 5. §. 1. ff. de verbor. oblig.* Pacti *lege 1. §. 2. ff. de pact.* Novationis *lege 1. ff. de Novat. & delegat.* Acceptilationis *lege 1. ff. de acceptilat.* Furti *lege 1. §. 3. ff. defurt.* & aliarum rerum definitionibus. Sic quoque Jurisconsulti actionis definitionem tradere non timuerunt, & quidem egregiam actionis definitionem adhuc hodie (non relataente temporum injuriâ, quæ multa egregia è jure abstulit) salvam, superstitem & incolumem habemus ex libro 3. *ff. Celsi*, ex quo est *lex 51. ff. de oblig. & act.* quam Tribonianus in *Princip. Inst. de action. translit.* Ea hæc est ex dictis locis. *Actio est jus, quod sibi debetur iudicio persequendi.* Vel *Actio est jus persequendi in iudicio, quod sibi debetur.*

Utroque in loco ubi actio definitur, hæc verba reperiuntur *Nihil aliud est actio &c.* Sed hæc verba nihil aliud consultò omisimus tanquam ornamenti tantum causâ definitioni adjecta, & ad definitionem propriè non spectantia. Et hæc verba ornatus causa adjecta non solum hîc, sed & in aliis juris locis ut in definitione hereditatis *lege 24. ff. de verb. signif. lege 62. ff. de Reg. Jur.* reperiuntur.

Genus Actionis est, Quod sit J U S. Verbum *jus* quid hîc significet queritur ab Interpretibus. Et negant quidam verbum hoc aliâ voce commodè exponi posse, quæ sententia in tantum quidem vera est, quod vox *jus* sic exprimi hîc non possit, quin semper

semper quid contra explicationem vel opponere vel cavillari quis possit. Sed tamen hujus vocis licet hic ambiguæ explicatio quædam & descriptio dari potest, quæ vitio caret, & propteræ tolerari debet *lege 19. ff. de Legibus*. Inter varias hujus vocis explications eorum nobis maximè sententia placet, qui jus hic denotare volunt, potestatem seu facultatem jure concessam, idque per Metonymiam continentis pro re contenta. Nempe dico jus continens actiones quoque, hic dici pro actione, re jure contentâ. Et verbum juris non solum hic sic accipi debere existimo, sed & in definitione justitiae *lege 10. ff. de just. & jur.* traditâ & in *lege 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* ubi potestas patria *jus* dicitur & in definitione ususfructus traditâ in *lege 1. ff. de usufr. & quemadm. quis utat. fruat.* & in definitionibus Itineris, Actus, Viæ, Aquæductus in *l. 1. ff. de serv. Rustic. præd.* traditis. Ut autem jus hic pro facultate, seu potestate legitima & jure concessa sumam, inducunt me duo hæc argumenta. Primo, quia video potestatem aliquando per verbum *jus* explicari, uti disertè in *lege 2. ff. de his qui sunt sui vel alieni juris* ubi inquit *Gajus*, Item in potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nupiis procreaverimus: quod jus proprium civium Romanorum est. Quæ sententia quoque tradita est in §. 2. *Inst. de Patr. potestate*, ubi statim subjungitur: nulli enim alii sunt homines, quitali in liberos potestarem habeam &c. Præterea *juris & potestatis* vocabula promiscue confunduntur in *toto titulo Inst. de his qui sunt sui vel alien. jur.* sunt. Quod cum ita sit, neque novum neque insolitum est, si vocem *jus*, hic similiter exponamus per vocem *potestas*. Secundò movet me hoc argumentum, quod *Jurisconsulti*, quando significare volunt alicui actionem competere, aut non compete re, sæpius dicant *eum facultatem habere aut potestatem, aut jus, aut negent ei hoc jus, potestatem aut facultatem agendi competere*, ut in *lege 1. ff. de eo quod certo loco dari oportet. lege 6. §. 12. ff. de Negot. gest. lege 20. Cod. de Negot. gest. lege 5. §. 6. ff. de doli mali & met. except.* Concludimus ergo hisce moti argumentis *jus* hic sumi pro facultate seu potestate legitima & jure competente.

Quidam hic pro voce *J U S* per transpositionem literarum *V I S*. Legunt. Si autem hi per vocem *V I S*. intelligent agendi

## DISPUTATIO JURIDICA

necessitatem, hoc sensu quod actor debeat necessariò per actionem jus suum persequi, tum falsissima eorum sententia est, actor enim si velit jure suo uti, potest, si nolite eo uti, cogi non potest, uti apparet ex lege 5. §. 6. ff. de dol. mal. & met. except. & lege unica Cod. ut nemo ager. vel accus. cogat. Si illi per vim intelligent potestatem vel facultatem, tum ejusdem sententiæ nobiscum sunt, vim autem aliquando idem denotare quod potestas denotat patet ex eorum vocum coniunctione in lege 17. ff. de leg. lege 1. ff. de Tutel. §. 3. Inst. de interd. Non facile tamen hanc emendationem admittendam censeo, minimè enim mutanda sunt, quæ interpretationem certam habuerunt, habent, aut habere possunt lege 23. ff. de legib.

Franciscus Hotmannus vir Eruditissimus ipsis inimicis testibus (sic enim Fachinæus de eo scribit, quem ei inimicissimum fuisse ipsissima haec verba ejus ostendunt, quæ extant libro 5. Controvers. capite 1. Franciscus Hotmannus natione Gallus, Professione Consul-tus, ac eruditus vir, de Jurisprudentia, deque omni re literaria benè meritus dici posset, nisi hereticâ pravitate imbutus, aliquam suorum scriptorum partem hereticâ pravitate aspersisset). Is inquam Hotmannus existimat J U S hic nihil aliud quam formulam significare. Quæ sententia nobis primò non displicuit, sed cum eam penitus inspiceremus, & argumenta eorum; qui contra eum sentiebant attentius consideraremus, sensimus nos unà cum illo doctissimo viro magnum errasse errorem, invenimus enim multa & ferè infinita dici de actione, quæ de formula dici non possunt. Sic dicitur actio quandoque ultro citroque nasci lege 2. ff. de Negot. gest. Oriri lege 3. §. 7. ff. eodem. Acquiri lege 72. ff. de Procurat. & defensor. Ipso jure competere lege 1. §. 1. ff. famil. ericis. Vendì & alienari lege 23. ff. de hered. vel act. vend. lege 9. Cod. eodem. Cedi. & prestari lege 2. §. 8. ff. de hered. vel act. vend. lege 23. ff. cod. Mandari lege 70. ff. de procur. & defens. Ad heredes transire lege 26. ff. de obligat. & att. Ab herede incipere lege 40. ff. eod. Plures actiones dicuntur aliquando concurrere lege 60. ff. eod. & tum alteram institutam, alteram consu-mere & perimere, aut non consumere (prout negotium exigit) lege eadem 60. ff. eod. lege 34. §. 1. ff. eod. dicitur actio dividi inter fidei-sores lege 10. §. 1. ff. de fideiussor. & mandat. Quæ omnia formulæ quomodo accommodari possint non video. Negare tamen nolo. alii-

aliquando actionem formulam dici, vel actionem dari idem esse, quod formulam dari. Sed tamen hic mihi ea vox non videtur fas, commodè tolerari posse retineo ergo potius *jus* significare facultatem seu potestatem legitimam, motus argumentis & legibus supra allegatis, quibus addi potest locus Ciceronis Libro 2. de inventione ubi sic ait. *In jure & exceptiones postulantur, & quodammodo agendi potestas datur, & omnis conceptio privatorum judiciorum constituitur.*

Diximus Actionem esse *jus PERSEQUENDI*. Quod verbum supra obiter exposuimus, cum ostenderemus quomodo omnis & qualiscunque actio persecutio dici posset, & quod propriè vox persecutio extraordinariam persecutionem significaret. Non inconcinka eorum sententia videtur, qui vocem persequendi hoc translatam esse contendunt a venatoribus, qui feras persequuntur, ita ut actor sit venatoris loco, reus loco fugientis (quem admodum is appellatur in *lege 5. Cod. de recept. arbitr. lege 2. prino. & §. 4. Cod. de jurej. propt. cal. dand. lege 13. §. 2. Cod. de judic.*) & sic differt exceptio ab actione, excipiens enim non persecutur, sed persequentem actorem morari & effugere studet, dicitur autem hic *jus persequendi non persecutio*, quia non statim omnis, qui agendi potestatem seu *jus* habet, ipso actu persequitur.

Sequitur in definitione in JUDICIO. Hæc verba *in judicio* si applicare velimus ad *jus vetus*, quo judges a Prætore dabantur Pedanei dicti, definitur hic tantum ea *actio*, de qua judges Pedanei cognoscebant, non ea, de qua ipsi Magistratus cognoscebant, eo enim jure probè distinguendum est inter ea quæ in jure siebant apud Prætorem, & quæ in judicio siebant apud Judicem, coque jure locus, ubi Prætor salvâ Majestate Imperii sui, salvoque more majorum *jus dicere* constituit, *jus* appellatur *lege 11. ff. de justit. & iur. locus* verò ubi *judex causam cognoscit* *judicium* dicitur. Ut appareat ex *titulo 10. & 11. libri 2. Digestorum* eoque jure judges & Magistratus sibi invicem opponuntur ut in *lege 2. ff. de Reg. Jur.* Verum si hæc verba actioni applicare velimus, post id tempus, quo *judicium* *datio in usu* esse desit, & Magistratus ipsi *judicare* *jussi* sunt, rectè per *judicium* hic intelligemus eum locum, ubi *jus dicitur* sive ab ipso Magistratu, sive a judge dato (quem adhuc hodie ex *justa causa dare* licet *lege 2. Cod. de pedan. judic.*)

Eâque significatione Tribonianum in judicio dixisse nullus dubito, quia Iustiniani tempore Iudicum datio in usu esse desierat, abrogata enim ea est temporibus Diocletiani & Maximiniani uti apparet ex dicta lege 2. Cod. de Pedan. judic. Tempore autem Celsi cum judicum datio adhuc in usu erat (vixit enim is temporibus Trajani, & Hadriani), non poterat Celsus dicere actionem esse *jus in judicio persequendi* (saltem si actiones omnes tam de quibus Prætor ipse cognoscet, quam de quibus ipse judex cognoscet definire yellet). Is ergo dixit actionem esse *jus judicio persequendi*, omissa voce *in*. Verius ergo est judicum apud Celsum denotare non locum ubi judicum exercetur, sed ipsum judicum, seu disceptationem legitimam inter actorem & reum apud Iudicem competentem litis finienda, aut maleficii puniendi gratiâ. Ceterum sive hæc vox sumatur vel pro loco in quo judicum exercetur, vel pro legitima disceptatione, apta est ad demonstrandum neminem posse sibi de re sua jus dicere, & sine juris sive judicis officio suum accipere, idque expressè prohibetur in *lege unica* Cod. Ne *Quis in sua caus. judic. lege 14. Cod. de Jud. & celi. lege 9. Cod. de obligat. & action. lege 13. ff. Quod met. caus. lege 7. & 8. ff.* Ad Leg. *Jul. de vi privata.* Diximus actionem esse *jus persequendi* in judicio id, quod sibi DEBETUR. Hoc verbum si ex proprietate sua consideretur vitiosam hanc definitionem reddet, neque enim hic generaliter actio definitur (quod tamen fieri debet) sed sola in personam actio. Cum enim in rem agimus, non agimus cum eo, qui nobis obligatus est, aut quid debet, sed cum eo, qui nobis nihil debet, nulloque nobis jure obligatus est, sed cui tamen nos de realiqa controversiam movemus §. 1. Inst. de actionimo rem, quæ nostra est, nobis non deberi patet ex lege 27. §. 2. lege 34. ff. de auro & argento legato. lege 14. §. 2. ff. de except. rei judic. si tamen accuratius jus nostrum inspiciamus apparebit verbum *debendi* ibi aliquando tam latè sumi, uti & ea, quæ alicujus in dominio sunt & sua complectatur, ideoque & omnem actionem tam ex dominio, quam ex obligatione descendenter, sic dicitur in lege 178. §. 3. de verb. signif. Hoc verbum debuit omnem omnino actionem comprehendere intelligitur, sive civilis, sive honoraria, sive fideicommissi fuit persecutio. Et licet quandoque debitum a suo (ex verbi

verbi proprietate) discernatur, tamen aliquando sub suo etiam *debitum* (ex more loquendi) Consultis nostris usitato continetur sic dicuntur *actiones meorum & tuorum* appellatione venire *lege 91. ff. de verb. signif.* quarum actionum quædam tamen petunt, quod verè nobis debetur, sic *suum* recipere dicitur, qui id quod sibi debetur recipit *lege 44. ff. de condic.* indeb. sic creditor dicitur *suum* petere *in lege 5. §. 5. ff. de doli mali & metus except.* *lege 5. Cod. de hec red. petit.* sic verbum *suum* expressè exponitur per verbum *quod sibi debetur lege 6. §. 6. ff. de his, qua in fraud. credit. facta sunt ut restit.* quæ cum ita sint non video quid prohibeat quo minus h̄c sub voce *quod sibi debetur* etiam *id quod suum est* contineatur. Nam licet is, a quo nostrum petimus nobis ita obligatus non sit, uti ex obligatione quid debeat, tamen debet nobis rei nostræ, quam possidet restitutionem *lege 9. & 68. ff. de Rei vind.* Non obstat nostræ sententia lex 108. *ff. de Verbor. signif.* ubi dicitur *Debitorem eum esse, a quo invito pecunia exigi possit.* Verbum enim pecunia non solum pecuniam numeratam significat, sed & omnia corpora quæ in patrimonio cuius sunt *lege 5. lege 173. lege 222. ff. de verbor. signif.* Ideoque eam legem maxime pro nobis esse putamus. Diximus Actionem esse ius persequendi id, quod SIBI debetur. Hoc verbum eo spectat uti intelligamus unumquemque tantum *sibi* quid petere posse, non alii, obligationes etenim & ex eis descendentes actiones, ita comparatae sunt, ut unusquisque persequatur & adquirat *sibi*, *quod suum interest & sibi debetur, non alii* §. 19. *Inst. de inutil. stipul.* & sic sèpissimè in jure negatur, aliquem posse alterius nomine agere, ut in *lege 123. ff. de Reg. Jur. lege 5. ff. si usufruct. petet. vel ad al. pert. neg. princ. Inst. de eis per quos agere possimus.* Nec obstat quod per Procuratores hodie agere possimus, illi enim alienam causam quidem agunt, sed quod ex ea causa præstandum est non sibi sed domino petunt, quem representant postquam mandatum intervenit, & videtur dominus ipse agere, quod enim quis per alium facit, hoc ipse facere intelligitur.

Quæritur cum actio definiatur ius quod SIBI debetur persequendi an actio injuriarum, & actiones populares rectè actiones dici queant. Et mihi verior videtur eorum sententia, qui dicunt

## 16 DISPUTATIO JURIDICA

cas actiones esse, disertè enim in jure actiones appellantur, & licet actiones populares eæ esse dicantur, quæ populo jus suum tueantur *lege 1. ff. de popular. action.* ideoque quis non sibi quid petere sed populo tantum jus suum tueri videatur, tamen dicemus & privatum sibi quod debetur petere & post litem contestatam inter creditores computari *lege 12. ff. de verbor. signif.* & sanc qui potest esse dubium an privatus actionem popularem ita instituere possit ut sibi quid petat, cum tamen dicatur in actione populari unumquemque quidem ad agendum admitti, sed tamen eum præferri, cuius interest *lege 3. §. 1. ff. de popular. action.* Præterea quomodo potest dubitari quin agens populari actione sibi quid petat, cum ipse poenam sibi petat; aut integrum, aut partem ejus *lege 25. §. 2. ff. de Senatusconsil. Silan.* *lege 7. ff. de iurisd.* Totam habebit poenam si nihil de parte Fisco applicanda dictum sit, in dubiis etenim contra Fiscum respondetur *lege 3. ff. de litig. lege 10. ff. de jure Fisci.* Sane si qui casus sit in quo Fisco integra poena addicitur, is planè specialis est, nec huc pertinet, leges enim de his, quæ ut plurimum, non quæ raro fiunt loquuntur *lege 3. 4. 5. & 6. ff. de legib.* Antequam tamen lis contestata sit, is qui populari actionem habet, nec creditor est nec locupletior *lege 12. ff. de Verbor. Signif. lege 7. §. 1. ff. de popul. action.* quia incertum est utrum ille ad judicium instituendum admitti possit, quia vel alius ei præferri potest, vel ipse potest mori, aut is, qui deliquit, quod si eveniat actio ei inutilis erit. Idem & de Actione injuriarum dicendum est, uti ea ante litem contestatam in bonis nostris non sit *lege 28. ff. de injur.* quia fieri potest, ut vel ipse qui fecit injuriam, aut is, cui injuria facta est moriatur ante litem contestatam, quo casu ei inutilis est actio, ut pote quæ nec heredi nec in heredem detur *lege 13. ff. de injur.* lite autem contestata an quis sibi quid petat dubitari non potest saltem si civiliter agat, quia injuriam jurejurando æstimare potest. *§. 7. Inst. de injur. Accusatio* licet interdum actio dicatur, recte & propriè actio dici nequit, quia eā non persequitur quis id quod sibi debetur, & quod ad suam utilitatem spectat; sed ad hoc uti vigor publicæ disciplinæ exerceatur *lege 9. §. 5. ff. de public. & veltig. & commiss.* Ea ergo quando actio dicitur, impropriè hoc intelligendum est, quatenus is qui accusat, actoris vicibus fungi intelligitur.

CA-

## CAPUT IV.

QUO ACTIONUM QUÆDAM DIVISIONES  
TRADUNTUR.

**A**bsolutâ definitionis explicatione lex methodi nostrę exigit uti ad Divisiones actionum transeamus, quæ cum plurimæ & infinitæ sint, non omnes recensebimus, sed eas tantum, quæ in ipso *título Institutionum* enarrantur, quasque in rem nostram facere existimamus.

Summa itaque actionum Divisio est, quod sint vel in REM, VEL IN PERSONAM. Vel (uti nos putamus) MIXTÆ. *lege 25. ff. de oblig. & action. §. 1. & 20. Inst. de action.*

Actio in rem est, per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur petimus *lege 25. ff. de obligat. & action.* aut potest definiri hoc modo Actio in rem est cum quis agit cum eo, qui nullo jure ei obligatus est, movet tamen illi de re aliqua controvèrsiam *§. 1. Inst. de action.* Hæc actio descendit ex dominio aliisque causis. Dominium definiri potest jus pro arbitratu suo de resua disponendi & statuendi, nisi si quid vi aut jure prohibeatur. Quæ definitio ferè probatur ex *lege 21. Cod. mandati.* Illius dominii variae sunt distinctiones, quas, ut huc non pertinentes, omissimus. Hanc saltem quæ in rem nostram præsentem facit allegasse sufficiat nempe quod interpres Dominium dividant in directum & utile, directum autem vocent id, in quo dominus nullum agnoscit superiorem, quale dominium habet verbi causa Dominus Emphyteusos, utile in quo quis superiorem agnoscit; quale jus habet Emphyteuta. Accuratius divisio illa proponitur in *lege 19. ff. de damno infecto* ubi dividitur dominium in dominium in specie tale, & in jus dominio proximum. Ex dominio oritur directa in rem actio, ex jure dominio proximo utilis in rem actio, quæ etiam causa interpretibus fuisse videtur; cur Dominium in directum & utile distinxerint.

Hæc in rem actio datur ei, qui probare potest se rei dominum esse & dominium acquisivisse ex causa, ex qua jure Gentium aut

## 18 DISPUTATIO JURIDICA.

civili jure dominium acquiri potest *lege 23. ff. de Rei vind.* Adversus quemcunque possessorem licet res per mille manus ambulaverit dummodo usucpta non sit *lege 25. ff. de obligat.* & *actione lege 36. & 80. ff. de Rei vind.* datur & adversus alios, uti qui se liti dolo malo obtulerunt *lege 7. 25. & 26. ff. eod.* & adversus eum qui dolo malo possidere desit *lege 36. ff. eod.* Datur adhoc uti res cum omni causa restituatur *lege 17. §. 1. lege 68. ff. eod.* Reliqua quæ de directa in rem actione dicenda sunt, ut & de utili, quæ ei, qui jus in re dominio proximum habet, datur, omittimus, ne disputatio nostra nimis excrescat, remittimus curiosos lectores ad *titulum ff. de Rei vindicatione*, & Interpretes qui eum exposuerunt.

A&ctio in personam est, quâ agimus cum eo, qui nobis obligatus est ad dandum aliquid vel faciendum *lege 25. ff. de obligat.* & *act.* vel uti in *§. 1. Inst. de action.* dicitur quando quis agit cum eo, qui ei obligatus est vel ex contractu vel ex maleficio, & proinde contendit adversarium suum ei quid dare aut facere teneri. Hæc actio in personam ex obligatione descendit. Obligatio est triplex, Naturalis, Civilis, & mixta. Naturalis quæ solâ aequitate nititur naturali. Civilis quæ solâ juris civilis nititur subtilitate. Mixta, quæ & jure naturali & civili nititur. Illa quæ mixta est sic definitur juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei dandæ aut solvendæ *Princ. Inst. de obligat. lege 3. ff. de oblig.* & *action.* obligatio oritur aut ex contractu, aut ex quasi contractu, maleficio aut quasi maleficio *§. 1. Inst. de obligat.* De effectu naturalis, civilis & mixtæ obligationis hic nihil dicimus, quam quod sola obligatio mixta actionem efficacem producat. Reliqua quæ de obligatione dicenda forent hic omittemus, de contractu tamen alio loco opportuniore quædam dicemus.

Ex hisce quæ ante diximus de actionibus in rem, & in personam, de mixtis actionibus rectè judicari potest, nempe esse eas partim in rem & sic ex dominio oriri & pro rei vindicatione esse, partim in personam, & ex obligatione esse, quatenus præstaciones personales recipiunt. Hæc autem sunt numero quatuor actionum regundorum, familiae Erciscundæ, communi Dividendo,

do, & petitio hereditatis. Esse autem eas mixtas actiones probatur ex plurimis locis ut in §. 20. *Inst. de action. lege 1. ff. finium regundorum l. 22. §. 4 ff. famil. ercisc. lege 1. §. 2. lege 7. ff. si pars hered. petat. lege 4. §. 3. ff. communi divid. lege 7. Cod. de petit. hered.* Si tamen quis velit mixtas actiones sub simplicibus comprehendere per me licet, cum & bipartita & tripartita divisio sustineri potest, si actiones mixtas referamus ad eas, in quas inclinant maximè. Secunda Divisio sit, Quod Quædam actiones sint *Civiles*, Quædam *Prætorie*. Civiles, quas ipsum jus civile introduxit, Prætoriæ quas Prætor supplendi juris causa introduxit §. 3. *Inst. de action.* Prætoriæ autem pariter ut civiles sunt vel in rem vel in personam uti traditur in *Inst. §. 3. de action.* species autem harum actionum recensere nostri instituti ratio non permittit, remittimus ergo Lectorem Benevolum ad §. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & sequentes *Inst. de action.* & commentarios Vinnii ad dicta loca. Tertia Divisio sic hæc Actiones sunt vel rei persecutoriæ, vel pœnales, vel mixtæ. §. 16. *Inst. de action.* Persecutoriæ sunt, quibus id tantum persequimur, quod ex patrimonio nobis abest *lege 35. ff. de obligat. & act.* Rei autem persecutoriæ sunt omnes in rem actiones, & omnes ferè personales quæ ex contractu descendunt, ut conductio certi quæ ex contractu mutui datur, aut ex stipulatione, seu ex stipulatu actio, commodati, depositi, mandati, pro socio, ex empto vendito, ex locato & conducto §. 17. *Inst. de action.* Pœnales definiti possunt, quæ tendunt non ad id, quod actori abest, sed poenam exigunt. Quarum exempla in §. 18. *Inst. de action.* propo-nuntur. Mixtæ sunt quibus id persequimur, quod nobis abest, sed præter id quod abest, etiam poenam, exempla sunt in §. 19. *Inst. de action.* de effectu & concursu harum actionum verba non faciemus. Quarta Divisio sit Actiones sunt vel in simplum, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum, ulterius autem nulla actio extenditur. De his actionibus & exemplis earum videantur *Paragraphi 21. 22. 23. 24. 25. 26. & 27. Inst. de actionibus.*

Quinta Divisio est Quod Actiones sint vel Bonæ-fidei, vel Stricti juris, vel Arbitrariæ, §. 28. & 31. *Inst. de action.* atque hæc divisio maximè facit in rem nostram. Quia autem de solis Bonæ-fidei actionibus verba facere animus est, non inconcinnum

## 20 DISPUTATIO JURIDICA

visum est eas hic definire, uti tres definitiones melius conjung possint. Actiones Bonæ-fidei eas esse dicemus, in quibus judici libera potestas permittitur, ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restitui vel præstari debeat §. 30. *Inst. de action.*

Actiones stricti juris, in quibus judex formulæ datæ ita adstrictus est, uti ab ea ne latum quidem unguem recedere ei licet. Arbitriæ, quibus judex jubet res quasdam alicui restitui, aut nisi ex restituantur, ad condemnationem pervenit, & suo arbitrio ex bono & æquo secundum rei, de qua agitur, naturam, quomodo actori satisfieri debeat, decernit §. 31. *Inst. de actionibus.*

## CAPUT V.

QUO IN GENERE DE ACTIONIBUS  
BONÆ-FIDEI DISSESTITUR.

**N**ulla Respublica, nullum Regnum, nullum Imperium, nulla denique regio satis felix, prospera aut beata esse potest, nisi & leges quibus nitatur justissimas habeat, & Magistratus constitutos ad hoc uti legum observantes prompti semper ac parati sint, ad secundum leges omnes motus & controversias tam privatas ac publicas sedandas & componendas, & Rem publicam in pace & quiete benè & justè administrandam. Si autem ulla Respublica legibus earumque ministris id est Magistribus excelluerit, sanè ea ante omnes Romana erit, quæ licet minima principia habuerit, ad summa tamen & maxima pervenit. Quot enim ea justissimas & excellentissimas leges, quam varios & quidem spectatissimos Magistratus habuerit, ut omnes Historicos prætermittam, vel ex uno Pomponio colligi potest *ex libro ejus singulari Enchiridii*, cuius pars extat in lege 2. ff. de origine juris & omnium Magistratum, & successione prudentium. Inter omnes autem Populi Romani Magistratus (hoc est eas Personas Publicas, quæ jurisdictioni præsunt) non è minimo, sed potius è summo ordine fuit Prætor, ea occasione creatus, ut cum Consules urbe abesse propter bella cogerentur, esset in urbe aliquis,

qui

qui jus diceret *lege 2. & §. 27. ff. de orig. jur.* Qui Prætor tantæ deinceps factus est dignitatis & auctoritatis, uti ipse non tantum jus dicere, sed & jus novum facere posset adjuvandi, supplendi, imo etiam corrigendi juris civilis causā, & uti jus quod ipse introduxerat ab eo Prætorium, aut ab honore ipsius summo, honorarium diceretur, & pro viva voce juris Civilis haberetur *lege 7. §. 1. lege 8. ff. de just. & jur.* Hic autem Prætor Jurisdictioni præfectus aut ipse causam cognoscet & de ea decernet, aut judicem alium dabit, qui addictus, Pedaneus, & delegatus dicebatur. In quibus causis ipse Prætor cognoscere soleret, in quibus judicem dare, non inquiremus, quia ea res altiorem repetitionem exigeret, neque ea inquisitio huc pertinet. Hoc saltem dicemus, quod, si Prætor in Edicto suo promisisset se de ea re judicaturum, ipse de ea re cognoscere deberet, si contra promisisset se judicem daturum, ipse intervenire non posset, sed judicem necessariò dare deberet, propter Legem Corneliam, quæ caverat, uti Prætores ex Edictis suis, ita ut edixissent, jus dicarent, neque ab Edictis suis recederent. Hujus legis meminit Pomponius Latus libro singulari de Legibus Romanorum, sectione de Lege Cornelia & Asconius Pedianus in oratione Cicer. pro C. Cornelio.

Cum autem id ita receptum esset uti Prætor quandoque judices daret, necessarium erat quosdam judices constitui & eligi, uti Prætores non semper in eligendis judicibus divagarentur, sed uti quos dare deberent, cognoscerent. Eligebantur ergo judices in urbe a Prætore, uti constat ex Gellio libro 14. Noct. Atticar. capite 2. Eorum autem nomina redigebantur in Album Judicum, uti certa essent, uti appareat ex Suetonio in vita Claudi capite 16., qui autem eligebantur judices, etiam inviti id munus suscipere cogebantur, nisi justam excusationis causam haberent, tum enim Prætor eos excusat, nisi jam semel judicaverint, tum enim si se excusare velint non audiuntur *lege 13. princ. §. 2. & 3. ff. de Vacat. muner.* Ex his autem electis judicibus, si in causa quadam judex dandus esset, debebat Prætor aliquem eligere, uti in ea causa judicis officio fungeretur, & si utraque pars certum judicium peteret, eum Prætor addicere poterat *lege 80. ff. de jud.* sed diligenter Prætor animadvertere debebat, ne cum judicem da-

## 22 DISPUTATIO JURIDICA

ret, quem altera tantum pars nominatione petebat, id enim pravi exempli creditur, quia is videri potest nimio electoris amore, vel alterius partis odio flagrans iniquam dicere sententiam, sed hoc ita verum est nisi specialiter Princeps ad verecundiam petiti judicis respiciens id permittat *lege 47. ff. de judic.* Ne autem judices, prout vellent, judicarent, prescribebatur eis a Praetore formula, quam in judicando egredi non debebant. Hæc formula erat duplex vel lata vel stricta. Stricta erat hujusmodi : *Lucius Titinus iudex esto, si apparet Gajum, Sempronio centum debere ex mutuo (verbi gratia) condemnata.* Lata erat hujusmodi : *Lucius Titinus index esto, si apparet Gajum, Sempronio centum debere ex emplo, condemnata, ex Bona-fide.* Ab hisce formulæ descendit divisio actionum in *judicia Bonæ-fidei & stricti juris*, ea enim judicia, quibus Praetor strictam formulam accommodabat, judicia stricti juris dicebantur, quia judex formulæ ita adstrictus erat, uti nihil ad ipsius officium pertineret, quam solummodo cognoscere deberetur id quod petebatur, an non, & si deberetur, uti tum reum secundum stricti juris regulas tantum condemnare deberet, nullâ habitâ æquitatis ratione, nisi & ea per exceptionem formulæ inserta esset, uti mox dicemus. Ea autem judicia, quibus Praetor latam formulam accommodabat judicia Bonæ-fidei dicebantur, quia Praetor in eis utebatur his vocibus ex **BONÆ-FIDE**, quibus verbis judicii permittebatur potestas ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restituï debeat, ideoque prætermisso stricto jure æquitatis quoque rationem sponte suâ habendi §. 30. *Inst. de action. lege 2. §. 3. lege 5. ff. de oblig. & actionib.* Cum dico actiones Bonæ-fidei ideo ita dici, quod in formula diceretur *ex bona fide*, non hoc volo, quod semper formula ita concipiatur, sed quod ut plurimum & in plerisque Bonæ-fidei judiciis Praetor eis vocibus utatur. Alioquin non eo insicias Praetorem quandoque alis usum fuisse verbis, *ut inter bonos bene agier, & Quantiæ equius melius.*

Sic enim Cicero *libro 3. de officiis* postquam de actionibus bonæ-fidei verba facere cœpisset, dicit. *Reliquorum autem judiciorum hæc verba maximè excellunt, in arbitrio Rei uxoria, æquius Melius: in Fiducia, ut inter bonos bene agier.* Cæterum non promis-  
cuè

cuè Prætor vel latâ vel strictâ formulâ utebatur. Latâ enim formulâ in eis duntaxat utebatur judiciis, in quibus ab utraque parte obligatio & præstatio vertebar, credebat enim Prætor hoc utriusque contrahentis votum esse, uti potius ea, quæ ex bono & æquo præstari conveniens erat, præstarentur, quam quæ dicta essent. Sic egregiè in hanc rem Seneca libro 6. de beneficiis capite 38. cum constet negotiatio ex empto & vendito (inquit) quare votum ejus in unam partem trahis, cum lucrum ex utraque sit? omnes enim idem volunt, idem intra se optant. Et cum hic ab utraque parte præstatio veniat nihil iniquitatis est, si uterque eadem præstare cogatur, nam uti Seneca libro 2. de beneficiis capite 18. ait, Quodcumque ex duobus constat officium, tantundem ab utroque exigit. In eis autem contractibus, in quibus ab altera tantum parte præstatio venit, sedulò cavendum est, ne reus nimum prægravetur, cum alter ipsi nihil rursus præstare cogatur, ideoque sufficit si is id præstet, de quo conventum tantum est, aut ad maximum, quod natura contractus exigit lege 3. ff. de reb. cred. lege 99. ff. de Verb. obligat. Hisce sic dictis videamus quænam sint actiones Bonæ-fidei, earum quasdam Cicero libro 3. de officiis memorat verbis egregiis, quæ hic recensere lubet: *Quintus Scævola Pontifex Maximus* (inquit ille) *summam vim esse dicebat in omnibus eis arbitriis, in quibus adderetur ex BONA-FIDE: Fideique bone nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, locatis conductis, quibus vita societas continetur. In his esse magni iudicis statuere, quid quemque cuique præstare oportet.* Enarrat hic Cicero species sex, quibus si addamus arbitrium Rei uxoriæ, ex eodem Cicerone, loco prius allegato, has septem inveniemus, Tutelæ actionem, actionem pro socio, fiduciæ, mandati, empti & venditi, locati conducti, & actionem rei uxoriæ. Sic Cicero, plenius Imperator Actionum Bonæ-fidei species enarrat in §. 28. *Inst. de action.* Bonæ-fidei (inquit) sunt hæc ex empto, vendito; locato, conducto; negotiorum gestorum; mandati; depositi; pro socio; tutelæ; commodati; pignoratio; familiæ eriscundæ, communi dividundo. Præscriptis verbis, quæ de æstimate proponitur, & ea quæ ex permutatione

## 24 DISPUTATIO JURIDICA

competit, & hereditatis petitio, & tandem §. 29. *cod. tit.* addit actionem ex stipulatu de dote surrogatam in locum actionis rei uxoris. Enarrat ibi Imperator quindecim actiones. An hæc actiones omnes sint Bonæ-fidei, plenius apparebit in tractatu singularum actionum a nobis faciendo. Verum hic quæri potest an nullæ aliæ Bonæ-fidei actiones sint, præter enarratas. Et quod ad nos attinet, putamus non omnes hic, sed præcipuas species enarratas esse, & quidem in specie prætermissam esse actionem Emphyteuticam, quæ ex proprio contractus genere (Emphyteuseos nempe) descendit; licet enim quidam velint, eam hic sub locati conducti actione comprehendendi, tamen hoc admittendum non esse tum §. 3. *Inst. de Locat. & Cond.* tum vel imprimus lex 1. *Cod. de jure Emphyteut.* docet. Præterea prætermissam putamus actionem funeraliam, quæ procul omni dubio Bonæ-fidei est, cum judex in ea solutiæ æquitatem sequi debeat, quam in judicio negotiorum gestorum *lege* 14. §. 13. *ff. de Relig. & sumpt. funer.* Et quamvis hæc speciem quasi negotii gesti contineat, ideoque a quibusdam sub negotiorum gestorum actione hic comprehensa existimetur, tamen nos putamus eam esse separatam, a negotiorum gestorum actione, actionem, primò propter nomen speciale, semper enim cum quis funeravit aliquem, dicitur ei competere actionem funeraliam *lege* 14. *per totam legem ff. de religios. & sumpt. funer.* Præterea si hæc simpliciter sub negotiorum gestorum actione comprehenderetur, quid opus fuisset Prætorum speciale Edictum proposuisse, quo ei actionem polliceretur, qui aliquem funeraret, uti facit in *lege* 12. §. 2. *ff. eod.* cum alias negotiorum gestorum actio sufficeret, suntque præterea talia huic actioni tributa, quæ in negotiorum gestorum actione non obtinent *lege* 45. *ff. eod. tit.* Planè licet statuamus alias esse actiones Bonæ-fidei, quam quæ hic recensentur, nullas tamen, quam quæ hic recensentur postea explicabimus, ne disputatio nostra in infinitum crescat. Antequam ad differentias, quæ sunt inter actiones Bonæ-fidei & stricti juris, transeamus, una aut altera nobis dissolvenda est objectio, quæ contra hanc divisionem objici solet.

Prima objectio est *Theologorum*, qui putant iniquam hanc esse di-

divisionem, & imprimis hominem Christianum eam recipere non decere. Hujusque divisionis causa JConsultos maximè exagitat. *Clarissimus Amesius in Illustri Frisorum Academia, (quæ Francquereret) Theologie (dum viveret) Professor satis celebris, in libro (satis alioquin eleganti) de casibus conscientie libro 5. capite 42. (quod est de contractibus) numero 22., ubi ita inquit. Hinc divisio illa contractuum, quâ alii dicuntur esse Bonæ-fidei, & alii stricti juris, non est accurata, neque locum habet in foro Conscientiae & coram Deo, bona enim fides in omnibus contractibus requiritur, & quia in ea præcipua pars naturæ contractum consistit, ex illa, & secundum illam, quatenus liquere potest iudicium est serendum. In omnibus igitur contractibus procedendum est ex aequo & bono, potius quam ex verbis & summo juris rigore, in quo summa sœpe injuria continetur.* Hæc objectio videtur quidem contra nos, sed non est, neque divisionem subvertit, nam ea facta est ex ignorantia, quid JConsulti significare voluerint, quando actiones Bonæ-fidei & stricti juris dixerint, quia autem objectio ejus eadem est, quæ ex ipso jure objici solet, prætermittimus eam, saltem hoc dicemus quod libenter probatum desiderassimus quod dixit in rigore juris, quemadmodum is in contractibus obser-vatur, summam sœpe injuriam contineri.

Prima objectio ex jure est (quæ & Amesii est, uti diximus) Si in omnibus Contractibus bona fides desideretur, ergo hæc divisio est vitiosa, atqui in omnibus contractibus bona fides de-sideratur. *lege 59. ff. mandati.* Negamus majorem, nam bona fides dolo opposita, semper quidem requiritur in contractu, sed juri stricto opposita non semper desideratur.

Secunda oppositio est hæc, si in omnibus rebus justitiae & æQUITATIS magis ratio habenda sit, quam stricti juris, ergo & in actionibus, & per consequens hæc divisio inutilis est: atqui in omnibus rebus præcipua ratio habenda est justitiae & æQUITATIS, quam stricti juris *lege 8. Cod. de judic.* ergo &c. Respon-demus eam legem loqui de eis rebus, quæ dubiæ sunt, ibi enim ex æQUITATE magis quam stricto jure iudex judicare debet, sed ubi jus quod de re ista ferendum est, certum est, ibi iudex jus illud sequi debet, tum enim lex licet dura sit, quia scripta sic

## 26 DISPUTATIO JURIDICA

est, servanda est *lege 12. §. 1. ff.* *Qui & a quib. manum. liberi non fiant.* Et tum inter jus certum & interpretationem ex æquitate faciendam distingueret & inspicere soli Imperatori (non judici) licet *lege 1. Cod. de legib.* Dicta ergo lex nobis nihil obstat, cum enim in contractibus jus certum sit, servandum est. Videamus nunc de differentiis inter actiones Bonæ-fidei & stricti juris, quæ (quamvis pleræque hodie non obtineant *Groenewegen ad §. 28. Inst. de action. libro de legib. abrogatis*, olim plurimæ fuerunt. Nos differentias quinque exemplis ostendemus 1. In pactis contractibus adjectis. 2. In Exceptionibus earumque contestatione. 3. In Usuris. 4. In rei deterioratæ redditione. & 5. In Compensationibus.

1. Pacta ergo in continenti judiciis Bonæ-fidei adjecta, eis insunt, contractui legem dant, & non solum a parte rei, sed & a parte actoris insunt, id est non solum exceptionem producunt, sed & actionem formant *lege 7. §. 5. ff. de pactis.* Quod si pactum non in continenti, sed ex intervallo adjectum sit, tum refert utrum de adminiculis, an de substantia contractus pactum intervenerit, nam si de adminiculis pactum sit, idque contractui, quid adjiciat, exceptionem tantum pariet, non actionem, ne ex pacto actio nascatur *lege 7. §. 5. ff. de pact. lege 72. ff. de contrah. empt.* si vero de substantia contractus pactum sit, nihil refert an ab initio pactum illud intervenierit, an ex postfacto, tum enim illud pactum indistinctè & reo & actori prodest, exemplum elegans est in dicta *lege 72. in principiis sine ff. de contrah. empt.* Pacta autem adjecta in continenti judiciis stricti juris ad exceptionem tantum prosunt, & eatenus rectè inesse dicuntur, præsertim si aliquid detrahant contractui *lege 11. §. 1. lege 40. ff. de reb. cred.*

2. Exceptiones judiciis Bonæ-fidei insunt, ideoque partem contractus faciunt, & quolibet tempore proponi possunt, licet ab initio apud Prætorem earum mentio facta non sit, officio etenim judicis continetur, ut earum rationem habeat, cum ex Bona-fide, id est ex bono & æquo judicare debeat *lege 7. §. 6. ff. de pactis lege 3. ff. de Rescind. vend. lege 28. ff. de act. empt. & vend. lege 21. ff. soluo matrim. lege 84. §. 5. ff. de Legat.* 1. *lege 38. ff. de hered. petit. lege 58. ff. cod. tit.* In judiciis autem stricti juris nisi ex-

exceptio in initio contestata sit & formulæ inclusa , nulla ejus ratio a judice haberi potest *lege 8. & 9. Cod. de except. lege 9. Cod. de Prescript. long. tempor.* Atque hinc quoque alia differentia pro-  
venit , nempe quod si dolus malus in contractu Bonæ-fidei reperiatur , is ipso jure nullus sit , cum dolus Bonæ-fidei maximè contrarietur *lege 5. Cod. de Rescind. vend. lege 3. §. 3 ff. pro socio.* Idque hâc ratione , quod ad minimum ex dolo oriatur exceptio doli , quæ cum insit judicio Bonæ-fidei , facit id ipso jure nullum & hoc non obsecrè tradi videtur , in *lege 38. & 58. ff. de hered. petit.* In judicio verò stricti juris si dolus reperiatur , non aliter dolus corrigi potest , quam per actionem ex stipulatu , si de do-  
lo cautum sit , aut alias per exceptionem doli mali , quæ in ini-  
tio contestari & formulæ includi debet *lege 5. Cod. de inutil. sti-  
pulat. lege 36. ff. de verbis. oblig.* & cum exceptio formulæ inclusa est , tum formula stricti juris judicii talis est : *Lucius Tullius judex  
esto. si apparet Gajum Sejum, Sempronio Graccho centum debere,  
ex stipulatu, condemnata, extra quam si dolus malus intervenit.* Con-  
ditionaliter ergo exceptio formulæ includebatur , unde exceptio aliquando *conditio* appellatur , ut in *lege 22. ff. de exception.*

3. In judiciis Bonæ-fidei usuræ ex nudo pacto debentur *lege 7. §. 5. ff. de pactis* , præterea in eis ex morâ usuræ debentur , sine ulla conventione *lege 32. §. 2. ff. de usuris.* & debentur ibi usuræ officio judicis *lege 1. ff. eod.* , quod & idem de fructibus dicen-  
dum est *arg. legis 34. ff. eod.* In judiciis stricti juris usuræ non aliter debentur , quam si in stipulationem deductæ sint *lege 24. ff. de prescript. verb.* non ergo ex nudo pacto debentur , si tamen nudo pacto promissæ sint , & solutæ , non repetuntur propter naturalem obligationem *lege 3. Cod. de usuris.* Ratio hujus diffe-  
rentię est , quod in judiciis Bonæ-fidei usuræ judicis officio de-  
beantur , & quod in eis tantum valeat judicis officium , quan-  
tum in stipulatione nominatim ejus rei facta interrogatio *lege 7. ff. de negot. gest.* Ex his quæ diximus & illa apparent differentia , quod solutâ forte principali in judiciis Bonæ-fidei in tantum usuræ non debeantur , ut ne quidem præterit usuræ peti possint , ibi enim usuræ non ex obligatione , sed ex judicis officio deben-  
tur , quod officium finitum est , postquam sententia de forte

## 28 DISPUTATIO JURIDICA

dicta est, vel nullum est, cum forte solutâ, judicium institui non potest *lege 49. §. 1. ff. de actionib. empti. lege 4. Cod. deposit.* Sed in judiciis stricti juris si usuræ in stipulatum deductæ sint, & fors soluta sit, possunt, adhuc præteritæ usuræ actione ex stipulatu peti, quia ibi tum duplex obligatio & actio est, altera fortis, altera usurarum *lege 75. §. 9. ff. de verbor. obligat. lege 8. ff. de eo quod certo loco,* & per consequens unâ institutâ, altera adhuc institui potest, cum e contrario in judiciis Bonæ-fidei, una cum obligatio sit, & una actio, ea non amplius nisi semel de eadem re institui possit, aut si instituatur iterum, per exceptionem rei judicatae elidatur *lege 4. Cod. deposit.* Et generaliter circa accessiones omnes tenendum est, in judiciis Bonæ-fidei omnia ea præstari, quæ sunt moris & consuetudinis *lege 31. §. 20. ff. de ædilit. Editto.* In judiciis vero stricti juris ea tantum præstari, de quibus nominatum convenit, aut ad maximum ea, quæ præter conventionem negotii naturâ continentur. *lege 99. ff. de verbor. obligat. lege 3. ff. de reb. cred. lege 15. ff. de cond. indeb.*

4. In judiciis Bonæ-fidei si quis rem deterioratam restituat, eam restituisse, non intelligitur, & proinde veteri actione conveniri potest, quasi nihil restituisse *lege 3. §. 1. ff. commodati lege 1. §. 6. ff. deposit.* In judiciis stricti juris res deteriorata reddita, reddita quidem habetur, & per consequens vetus actio cessat, sed actione de dolo malo agendum est *lege 7. §. 3. ff. de dolo malo.*

5. Differentiam ultimam indicaturi, veniam à Benevolo *Le-*  
*etore* petimus, si longius hinc eamus, quam par est, explican-  
dus enim nobis hoc loco est, *§. 30. Institutionum de actionibus,*  
quem explicandum in inscriptione disputationis nostræ suscep-  
imus. Imperator Justinianus, postquam *§. 28. actiones divisisset*  
in actiones Bonæ-fidei & stricti juris, *§. autem eodem & sequen-*  
*ti 29. actionum Bonæ-fidei species enumerasset*, *§. 30. formulam*  
actionum Bonæ-fidei recenset, dicitque in Bonæ-fidei judiciis  
judici liberam potestatem permitti videri ex aequo & bono judi-  
candi, quantum actori restitui debeat, ex ea formula inducit  
egregiam differentiam, quæ olim fuit inter actiones Bonæ-fidei  
& stricti juris. Ea hæc est, quod in judiciis Bonæ-fidei com-  
pen-

pensatio ipso jure admitteretur, in judiciis stricti juris non item, addit postea Imperator, Divum Marcum compensationem in judiciis stricti juris fieri posse statuisse per oppositionem exceptionis doli mali, se tamen denique constituisse, uti compensatio ipso jure in omnibus actionibus fieret ipso jure. Hic sensus est §. 30. *Inst. de actionibus* (ni fallor) satis clarus & apertus. Duplicem autem hic errorem errasse Justinianum, quibusdam videatur, primò enim (ajunt) Justinianus non introduxit compensationem fieri in judiciis stricti juris ipso jure, cum hoc longè ante ipsum obtinuerit. Secundò fallitur in eo, quod dicat Marcus primum compensationem introduxisse in judicis stricti juris per exceptionem, cum longè ante eum compensatio ipso jure in eis obtinuerit, utrumque quod dicunt, probant ex *lege 4. ff. de compensat.* Quod ad primum errorum adtinet, vix putem Justinianum erroris absolvī posse, cum certissimum sit longo ante eum tempore in stricti juris judiciis ipso jure compensationem obtinuisse, sed ad hoc probandum non utemur *lege 4. ff. de compensat.* nam ex ea nihil probari posse mox ostendere conabimur, sed hoc utemur argumento, quod postquam Divus Marcus introduxisset compensationem fieri in stricti juris judiciis per modum exceptionis, placuerit deinde Jurisconsultis eam fieri in eis judiciis ipso jure, & hanc Jurisconsultorum sententiam primò constitutione Divi Alexandri Severi confirmatam esse in *lege 4. & 5. Cod. de compensat.* Sic sentio cum *Jurisconsultorum modernorum Principe Jacobo Cujacijo libro 8. observationum capite 16.* Vix ergo hujus erroris (ut dixi) Justinianus absolvī potest, nisi cum *summo viro Hugone Donello numero 5. in Commentariis ad hunc §. 30.* dicamus Justinianum non negare hic ante sua tempora compensationem ipso jure in judiciis stricti juris factam fuisse, neque dicere se hoc primum statuisse, sed hoc tantum dicere, se hoc primum statuisse, quod in omnibus actionibus tam in rem, quam in personam compensatio ipso jure fieri posset, quam sententiam probare videtur *lex. 14. Cod. de compensat.* Quod ad secundum errorem adtinet, puto nunquam Interpretes ex *lege 4. ff. de compensat.* probaturos ante Divum Marcum compensationem ipso jure obtinuisse in stricti juris judiciis. Sed inquires ausis ne tu

## 30 DISPUTATIO JURIDICA

hoc negare, an non dicitur *in dicta lege* 4. tempore Neratii in fidejussione obtinuisse, compensare potuisse fidejussorem ipso jure id, quod reus debebat, an ergo fidejussio non est stricti juris, ac Neratius nonne vixit sub Trajano & Hadriano, & sic ante Marcum? Respondeo; nego primò quod Neratii temporibus compensationem obtinuisse ipso jure in judiciis stricti juris, ex hac lege probari possit. Secundò dico, quod potuerit certo casu in fidejussione admitti ipso jure compensatio, & tamen quod possit defendi in strictis judiciis compensationem ipso jure non obtinuisse.

Ego existimo rem ita se habere, primis temporibus compensationem prorsus in stricti juris judiciis incognitam fuisse, Neratium autem Priscum in Disputatione fori existimasse compensationem ipso jure ibi quoque fieri debere, sed non obtinuisse, tum postea idem Pomponium existimasse, qui vixit Divi Marci temporibus, moti æquitate (ex qua introductam esse compensationem patet ex *lege* 36. ff. de administr. tutor.) quod potius non solvere, quam solutum repetere cuius intersit *lege* 3. ff. de compens. & quod dolo facere videatur qui id petit, quod mox redditurus est *lege* 8. ff. de dol. mal. & met. except. *lege* 173. §. 3. ff. de Reg. Jur. quam æquitatem cum Marcus consideraret, voluit reo compensare desideranti consulere, & tamen jus vetus formularum non infringere, constituit ergo compensationem fieri oppositâ doli mali exceptione, postea autem placuit rursus inter omnes Jurisconsultos eam fieri ipso jure, ideoque existimo rectè Paulum, qui post Marcum vixit dicere, verum esse, quod Neratio olim placebat, & Pomponius putat fidejussorem ipso jure debere compensare, sed verum esse *nunc* postquam inter omnes receptum est compensationem ubique ipso jure fieri, ut ipse Paulus ait *lege* 21. ff. de compensat. non ergo probatur Neratii temporibus hoc obtinuisse, sed Neratium hoc fieri debere sensisse, nunc autem, eam Neratii Prisci, priscam sententiam receptam esse. Et ita mecum sentit *Donellus vir egregius loco ante a citato.*

Secundum quod affirmabam erat potuisse compensationem ipso jure fieri in fidejussione, nempe tum cum fidejussio accederet iudicio Bonæ-fidei, tum enim poterat & debebat fidejussor ipso jure

jure compensare, quod reus compensare poterat, non propterea quod ei hoc in judicio stricti juris liceret, sed propter eam regulam, quod fidejussor in duriorem causam obligari non posset lege 8. §. 7 ff. de fidejussor, &c de tali fidejussione, quæ judicio Bonæ-fidei accessit intelligere licet legem 4. & 5. ff. de compens. At inquires non potest illa lex sic accipi, ait enim, quod fidejussor in *omni contractu* ipso jure minus debeat, quod reus ex compensatione retinere potest. Imo verò ex eis verbis ipse ego argumentor: si fidejussor tantum in eo contractu quid minus debeat, in quo reus aliquid retinere poterat, ergo ubi reus nihil compensare poterat, in eo contractu nec fidejussor compensare potest, at in judicio stricti juris reus ipse compensare non potuit, ergo nec fidejussor, & vice versa in judicio Bonæ-fidei potuit reus, ergo debuit & fidejussor. Si autem quis mihi hanc argumentandi vim eripere velit, probare debet in judicio stricti juris, quod non accessorium fuit, sed propriis viribus subsistere potuit, compensationem ipso jure ante Marci tempora obtinuisse, quod neminem facile facturum existimo. Sed potest adhuc dubium moveri ex lege 5. ff. de compensat. quæ Gaji est, qui coœvus Neratii fuit, ubi ait *licere fidejussori compensare creditori rei, vel id debitum, quod vicissim reo creditor debet, vel debitum, quod creditor fidejussori debet, vel utrumque debitum.* Hic dices Gajus fidejussori, qui creditori nullo modo obligatus est, nisi ex fidejussione, permittit compensationem non solum ex persona rei, sed & ex propria persona, atqui licet jam ponas hunc fidejussorem accessisse judicio Bonæ-fidei, hoc nihil te juvat, nam si fidejussor ex persona rei compensaverit non est in duriorem causam obligatus, quam reus, nam omne, quod reus compensare poterat, compensavit, jam autem si reus conventus fuisset, non potuisset debitum fidejussoris compensare, unde compensatio, quam fidejussor ex propria persona facit creditori, non descendit ex contractu Bonæ-fidei, qui nullus est inter creditorem & fidejussorem, sed ex sola fidejussione, quæ sola considerata stricti juris est. Respondeo, cum fidejussor, qui accessit judicio Bonæ-fidei non alias obligaretur, quam si illud judicium Bonæ-fidei præcessisset, aut saltem existeret §. 3. & 5. Inst. de fidejussor. videtur magis ex principali contractu obligatus esse, & sic ex rei persona compen-

compensare, quam ex accessoria obligatione, quæ nulla esset, si principalis obligatio deficeret *lege 129. §. 1. & lege 178. ff. de Reg. Fur.* ideoque rectè debitum suum compensat, tanquam si ipse esset principaliter obligatus, eo magis cum ipse, ejusque heredes in solidum convenientur, & rei locum expressè obtinere dicantur in *lege 4. §. 1. ff. de fidejussor.* Atque hæ sunt duæ conjecturæ meæ, quas potius admittendas sentio, quam antinomiam inter dictum §. 30. & legem 4. & 5. ff. de compens. statuendam. Ne autem absurdum cui videatur quod dico, fidejussionem quando accedit judicio Bonæ-fidei, participare de natura ejus judicii, licet sola considerata stricti juris sit, legat is *legem 54. ff. Locati conducti*, ubi videbit fidejussorem qui se in usuras non obligavit, in usuras tamen teneri, propter naturam locationis conductionis judicii Bonæ-fidei, in quo usuræ ex mora debentur. Plures sunt inter actiones Bonæ-fidei & stricti juris differentiæ, sed eas consultò omisimus.

## CAPUT VI.

QUO IN GENERE DE CONTRACTU ET  
DOLO ET CULPA QUATENUS IN CON-  
TRACTU CONSIDERANTUR PAU-  
CA PROPONUNTUR.

**P**ostquam in genere de judiciis Bonæ-fidei dixi, consequens erat, uti de singulis speciebus quid dicerem, sed quoniam ea ex contractu vel quasi proveniunt, pauca de contractu in genere proponere volui, uti supra cum de obligatione capite 4. agerem me facturum promisi, quia autem in contractibus sèpè mentio facienda est, quæ nam culpa in eorum actionibus singulis veniat, non inconveniens esse existimavi, si de dolo & culpa hic pauca proferrem, de singulis tamen verbo dicam. Ut rectè intelligi possit, quid sit contractus, primo sciendum est, quid sit pactum. *Pactum est duorum vel plurium in idem placitum & consensus lege 1. §. 2. ff. de pactis,* dico *duorum vel plurium*, uti distinguatur pactum a voto, & pollicitatione, quæ est unius solius tantum promissio, vel Deo, vel

vel Reipublica facta ob honorem impetrandum lege 2. & 3. ff. de pactis.  
 Pactum (uti alias divisiones huc non pertinentes prætermittamus) est vel nudum vel non nudum. Nudum pactum est solum pactum, quod stat in nudi placiti terminis lege 23. Cod. de pignor. lege 27. Cod. de Locat. cond. Illud pactum non producit actionem, sed jure Prætorio tantum exceptionem lege 7. §. 4. ff. de pact. lege 27. Cod. de Locat. cond. Nisi illud pactum lege confirmatum sit tum enim & tollit & parit actionem lege 6. ff. de pact. Parit actionem (verbi causa) si donatio facta sit nudo pacto, ex eo enim pacto datur condic̄tio rei donatae ex lege 35. §. 5. Cod. de donation. Tollit actionem (verbi causa) si pactum sit, ne furti committi, vel ne injuriarum factarum agatur, illud enim pactum lex 12. tabularum confirmat lege 7. §. 14. lege 17. §. 1. lege 27. §. 4. ff. de pactis. Præterea pactum nudum in continentī iudicio Bonæ-fidei adjectum format actionem, uti supra diximus ex lege 7. §. 5. ff. de pactis. Non nudum (vestitum incep̄tē quidam dicunt) pactum dicitur, quod in nudi placiti terminis non consistit, sed vel in aliud nomen transit, vel licet in speciale nomen non transeat, tamen sub se habet causam, ad obligationem producendam idoneam lege 7. §. 1. & 2. ff. de pactis. Hoc pactum alio nomine contractus appellatur lege 7. §. 1. & 2. ff. cod. Hinc ergo ita contractus definiri potest, pactum seu conventio, iure Civili obligatoria lege eadem 7. §. 2. Hic contractus uti ex dictis locis colligi potest est duplex, vel nominatus, vel innominatus. Nominatus, qui habet nomen speciale, & producit actionem ejusdem nominis (verbi causa) ut emptio venditio, qua producit actionem ejusdem nominis empti & venditi lege 7. §. 1. ff. de pact. Hic contractus nominatus est quadruplex, aut realis, aut verbalis, aut consensualis, aut literarum §. 2. Inst. de obligat. Contractus realis est, qui non prius oriun, quam si res aliqua media fuerit, ejus species sunt quatuor, mutuum, commodatum, depositum & pignus, quarum tres posteriores Bonæ-fidei sunt, prima stricti juris §. 28. Inst. de act. Contractus verbalis est contractus constans verborum conceptione quibus is, qui interrogatur, daturum, facturum ve se, quod interrogatus est, responderet lege 5. §. 1. de verbor. obl. hujus contractus hodie unica tantum species cognita est, stipulatio, olim etiam fuit cognita dotis dictio, & promissio muneris vel

## 34 DISPUTATIO JURIDICA

operarum a liberto facta Gajus libro 3. Inst. tit. 3. §. 2. 3. & 4. per jusjurandum. Literarum contractus est, cum quis chirographo confessus est, se eos nummos accepisse, quos non accepit, si post chirographi traditionem biennium intercesserit tit. Inst. de Liter. oblig. Contractus consensualis est, qui solo consensu constat, dicitur autem consensualis, non propterea, quod in aliis contractibus consensus non desideretur, sed quod in hoc præter consensum nihil desideretur, non rei interventio, non verba, non literæ, sed solus, solus consensus lege 2. §. 1. & 2. ff. de oblig. & act. Hujus species, sunt quatuor, emptio venditio, locatio conductio, societas, mandatum lege 2. ff. eod. quæ omnes Bonæ-fidei sunt §. 28. Inst. de att. Innominatus contractus est, qui speciale nomen non habet, nec actionem sui nominis producit, sed tamen causam sub se jure Civili obligatoriam habet, puta dationem vel factum lege 7. §. 2. ff. de pact. Hujus species propriæ sunt quatuor, do, ut des, do, ut facias, facio, ut des, & facio, ut facias lege 5. ff. de prescript. verb. Due impropriæ, que nomen quidem habent, sed actionem sui nominis non producunt, ut permittatio & contractus estimationis, de quibus infra agemus. Haec tenus de contractu in genere dixisse sufficiat. In contractibus quibusdam dolus tantum & lata culpa praestatur, in quibusdam & culpa levius, in quibusdam & levissima lege 23. ff. Reg. Jur. Agedum ergo videamus, quid sit dolus, quid culpa, tum regulas tradamus, quibus dignosci queat, quid in unumquemque contractum veniat, Dolus in genere sumptus nihil aliud significat, quam astutiam, calliditatem, & insidias. Sic ait Poëta. Multiberis capti, Marsque, Venusque dolis: id est insidiis. Dolus est duplex vel bonus vel malus. Dolus bonus est solertia, & machinatio justa adversus hostem, latronemve lege 1. §. 3. ff. de dolo malo. Dolus est omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita lege 1. §. 2. ff. de dolo malo. Culpa est omne factum, quo nocetur alteri injuria, sed tamen absque animo fraudandi. Culpa est triplex, lata, levius, & levissima. Lata culpa, est non intelligere, prouidere, curare, caverre, quod omnes homines intelligunt, prouident, curant, carent, qui modo sensu communi prediti sunt lege 203. §. 2. lege 223. ff. de verb. signif. lege 32. ff. deposit. Levius culpa est omissione ejus diligentia, quam

quam diligens & frugi paterfamilias suis rebus vulgo adhibere solet  
lege 25. §. 16. ff. famil. ercisc. lege 1. ff. de tut. & ration. distr. lege 1.  
§. 4. ff. de obligat. & act.. Levissima culpa est omisso ejus diligentia,  
quam diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibere solet lege 18. ff.  
commodati lege 25. §. 16. ff. famil. ercisc. ubi vox positivi gradus  
diligens (meo judicio) posita est pro voce superlativi gradus di-  
lignantissimus; hæc culpa levissima in jure sæpiissimè diligentia dici-  
tur, & culpæ levi opponitur, ut in lege 5. §. 2. ff. commodati lege  
23. ff. de Reg. Jur. Hisce sic dictis, ad regulas veniamus. Earum  
prima sit hæc, ubi solius dantis utilitas in contractu vertitur, ibi  
dolus & culpa lata tantum præstatur. Secunda sit hæc, ubi  
utriusque & dantis & accipientis utilitas vertitur, in eo contractu  
præstatur dolus, culpa lata, & culpa levis. Tertia sit hæc, ubi  
solius accipientis vertitur utilitas, in eo contractu præstatur do-  
lus, culpa lata, levis, & levissima; casus autem fortuitus nus-  
quam præstatur, nisi ita convenerit, has regulas deprompsi ex  
lege 5. §. 2, & 10. lege 18. ff. commodati. lege 23. ff. de Reg. Jur.

## C A P U T VII.

QUO TRANSITUS FIT AD JUDICIORUM BONÆ-  
FIDEI SPECIES ET IN SPECIE DE EMPTIONE  
ET VENDITIONE ET EX EA DESCEN-  
DENTE ACTIONE AGITUR.

**N**unc lex methodi nostrę desiderat, uti ad actiones Bonæ-  
fidei transeamus, harum quædam veniunt ex contractu  
tam nominato, quam innominato quædam ex quasi contra-  
ctu, una ex dominio. Ex contractu descendunt decem, octo ex  
nominato, duæ ex innominato, ex quasi contractu quatuor. Ex  
contractu. 1. Empti. 2. Locati. 3. Pro socio. 4. Mandati,  
5. Commodati. 6. Depositii. 7. Pigneratitia. 8. Stipulatio  
de dote; ex innominatio. 1. Actio præscriptis verbis, quæ  
ex permutatione competit. 2. Et quæ competit ex aestimatione.  
Ex quasi contractu. 1. Negotiorum gestorum. 2. Tutelæ,  
E 2 3. Fami-

## 36 DISPUTATIO JURIDICA

3. Familiae eriscundæ. 4. Communi dividundo. Ex domino, hereditatis petitio. De his deinceps ordine agemus, & primò naturam contractus explicabimus tribus verbis. Primò de emptione & venditione agamus. *Emptio venditio est contractus nominatus, juris gentium, bona-fidei, consensu initus, quo res aliqua cum certo prelio commutatur.* Hanc definitionem collegi ex lege 7. §. 1. ff. de pactis. §. 2. Inst. de jure natur. gent. & civ. §. 28. Inst. de action. Princ. Inst. de obligat. ex cons. lege 1. ff. de contrah. empt. Uti emptio venditio consistat tria maxime substantialia desiderantur, *consensus, merx, & pretium.* Consensus adeo de substantialia emptionis & venditionis est, ut præter consensum nihil desideretur, non traditio, cessio, aut mancipatio. *lege 2. §. 1. ff. de oblig. & act.* Statim ergo postquam consensus de re & pretio intervenit, emptio venditio perfecta est in tantum, ut neutri contrahentium altero invito ab ea recedere licet *lege 3. Cod. de rescind. vend. lege 6. Cod. eod.* Sed hoc ita est, nisi placuerit emptionem & venditionem in scriptis fieri, tum enim quamdiu scriptura perfecta non est, alteri ab emptione impunè recedere licet, nisi arrhæ intervinerint, tum enim, si is, qui arrhas dedit, recedat, eas amittit; si is recedat, qui eas accepit, eas duplicitas restituere tenet, quod si jam in scripturam emptio venditio redacta sit, non licet ab ea recedere, ne quidem sub amissione arrharum *lege 17. Cod. de fide Instrum.* Secundo requiritur uti res vel merx sit a parte vendoris: Vendi autem possunt ea res tantum, quæ in commercio sunt, quæ in commercio non sunt, vendi non possunt, nisi tanquam accessiones rei, quæ vendi possit, vendantur *lege 22. ff. de contrah. empt.* Quod si res, quæ in commercio non est, ignorantib[us] vendita sit, valet emptio venditio, ad hoc uti non res ipsa præstetur, sed id, quod emptoris interest deceptum se non fuisse *lege 4. 5. & 6. ff. de contr. empt. §. 5. Inst. de empt. vend.* Et hoc effectu res aliena quoque vendi potest *lege 28. ff. de contrah. empt. lege 30. §. 1. ff. de act. empt.* Tertio requiritur, uti sit pretium a parte emptoris. In pretio autem requiritur, ut id in pecunia numerata consistat, uti, post multam dubitationem, decisum est in §. 2. Inst. hoc. tit. Præterea debet pretium certum esse, vel non-

nomine vel certâ demonstratione , nomine & numero (verbū causā) hic fundus tibi sit emptus centum aureis , certâ demonstratione , tanti tibi venditus sit , quanti in arca est *lege 7. §. 1. ff. de contrah. empt.* Pretium in arbitrium tertii rectè quoque conferri potest , quod si is tertius arbitratus non fuerit , non valet emptio , neque ad alium recurritur , quod si is arbitratus fuerit , valet , & si iniquè arbitratus sit , ad arbitrium alterius viri boni recurritur *arg. legis 75. 76. 77. & seqq. ff. pro socio.* Quod tamen jure Codicis mutatum est *in lege 15. Cod. de contrah. empt.* & constitutum uti omnino ejus arbitrio stari debeat ; si tamen alterutrum contrahentium ultra dimidium lœsus sit , habet rescissionis beneficium ex *lege 2. Cod. de rescind. vend.* Huic contractui omnia licita & honesta pacta accedere possunt , quæ initio adjecta contractui legem dant *lege 7. §. 5. ff. de pac̄t.* Inter ea autem tria potissimum excellunt 1. Addictio in diem , seu pactum ut res tanti venditæ sit , nisi aliis intra certos dies plus pretii obtulerit , de quo pacto videatur *titulus ff. de in diem addictione.* 2. Lex commissoria , seu pac̄tum , ut nisi emptor intra certum diem pretium solverit , res inempta sit , de quo pacto videatur *titulus ff. de Lege Commissoria.* 3. Est pac̄tum de re vendita , venditori intra certum diem , vel quandocunque retrò vendenda , de quo pacto est locus elegans in *lege 2. Cod. de pac̄t. int. empt. & vend. compos.* Effectus emptionis venditionis perfectæ est , quod periculum rei venditæ statim ad emptorem pertineat , licet res tradita nondum sit ; nisi res dolo , latâ aut levi culpâ venditoris perierit . *§. 3. Inst. hoc tit.* aut nisi res ab aliquo corrupta sit injuriæ faciendæ gratiâ venditori *lege 12. 13. & 14. ff. de per. & comm. rei vend.* aut nisi res vendita sit , quæ pondere , numero , aut mensurâ constat , ejus enim periculum tum demum ad emptorem pertinet , cum ea adpensa , adnumerata , aut admensa est *lege 2. Cod. de per. & comm. rei vend.* Alter effectus est quod ex hoc contractu nascatur duplex actio , empti , & venditi , quarum utraque directa est . Actio ex empto datur emptori , ejusque heredi , adversus venditorem , ejusque heredem , adhuc uti res tradatur , non detur , aut mancipetur , nisi ita convenit *lege 1. princ. §. 1. 2. & seqq. ff. de act. empt.* existimo autem emptori invito interesse obrudi loco-

## 38 DISPUTATIO JURIDICA

rei non posse. Actio ex vendito , datur venditori , ejusque heredi , adversus emtorem , ejusque heredem , ad hoc , uti pretium , vel totum , vel residuum solvatur , unà cum usuris , si mora intervenierit *lege 2.* Cod. de act. empt. & uti numeros venditoris faciat *lege 11.* §. 2. ff. eod. Traditione factâ , si venditor dominus fuit , emptor dominus fit , alias id jus consequitur , quod venditor habuit *lege 11.* §. 2. ff. eod. Ex eis , quæ supra diximus appetit in hoc contractu venire dolum , latam & levem culpam , cum utriusque utilitas versetur *lege 5.* §. 2. ff. Commodati . An hic contractus Bonæ-fidei sit , dubitari non potest.

## C A P U T VIII.

QUO DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE  
AGITUR.

**A**bsoluto brevissimè contractu emptionis , eâdem brevitate de locatione & conductione agemus , nemo enim a nobis plenam contractuum explicationem exspectet . Locatio conductio est contractus nominatus , *Juris Gentium* , Bonæ-fidei , consensu initus , quo usus rei , aut opera , certâ mercede commutantur . *lege 7.* §. 1. ff. de pact. *lege 1.* ff. de loc. cond. §. 28. Inst. de act. Hic contractus proximus est contractui emptionis & venditionis eisdemque juris regulis consistit . *princ.* Inst. de Locat. & cond. *lege 2.* ff. eod. , quemadmodum enim in emptione tria substantialia sunt , *consensus* , *merx* , & *pretium* ; sic & hic *consensus* , *res* , *cujus usus conceditur* , *aut factum* , & *merces* , de quibus quia idem dicendum est ferè , quod supra dictum est , hic actum non agemus . Circa consensum tamen hoc dicemus , quod locatio conductio non solum aperto , sed & tacito consensu contrahi possit , sic , si quis domum conductam ultra tempus conductionis inhabitet , eam tacitè reconduxisse intelligitur , quod verum est non solum in prædiis urbanis , sed & rusticis *lege 13.* §. 11. ff. hoc *lege 16.* Cod. eod.

*eod.* Sed tamen differentia est inter prædia rustica & urbana, quoad tacitam reconductionem adtinet, nam si rustica prædia ad plures annos conducta sint, deinde finitis eis annis, si colonus perseveret in conductione, conductio tantum in unum annum de novo facta censetur; in prædiis vero urbanis, si tacite conductione facta sit, durat ea in tot annos, in quot conductor antea expressa conductione ea conduxerat *lege 13. §. 11. ff. hoc it.* Quando res locatur, tum semper appetet, quis locator, quis conductor sit, locator enim est is, qui rem utendam dat, accepta mercede, conductor est, qui rem utendam accipit, datâ mercede. Sed quando facta aut opera locantur (quæ, si honestæ sunt, locari possunt) res non semper adeo expedita est, imo tantum abest, ut aliquando dubitetur utrum eo casu locatio conductio, an aliud contractus initus sit. Quod uti dignosci possit, hæ tres regulæ observandæ sunt. Quotiens quid sit in re nostrano-  
mine nostro, uti is, qui ea in re quid facit, inde mercedem accipiat, totiens locatio conductio est *lege 20. & 65. ff. de contrah. empt. §. 4. Inst. de Locat. cond.* Si quis quid faciat in re sua, uti res deinde ad nos transferatur, totiens emptio venditio est, dictis antea locis. Quod si quid fiat nec in re nostra, nec in re ejus, qui quid facit, tum est contractus innominatus, do, ut facias *lege 5. ff. de cond. caus. dat. caus. non sec. lege 5. §. 2. ff. de prescr. verb.* Ut autem sciamus quis sit locator, quis conductor, inspicendum est, a quo contractus incepit, is enim pro locatore habendus est, quod si ignoretur, a quo contractus incepit, periculorum est, vel actione locati, vel conducti agere, sed præscriptis verbis tutò agi potest *lege 1. §. 1. ff. de prescript. verb.* Mercedem certam esse debere, a tertio constitui posse, & ab intio in pecunia numerata consistere oportere (*excepto casu legis 21. Cod. hoc tit.*) probant *princ. Inst. hoc. lex 2. ff. hoc lex 20. §. 1. lex 46. ff. hoc item lex 25. ff. eod. & lex 5. §. 2. ff. prescr. verb.* Locatio conductio, & emptio venditio adeò inter se comparabantur, uti aliquando dubitaretur utra harum contracta intelligeretur, quæ causa fuit introducenda a Zenone novæ contractus speciei, quæ Emphyteusis appellatur, propriamque naturam habet *§. 3. Inst. hoc. lege 1. Cod. de jure Emphytico, de qua nos tamen nihil di-*

## DISPUTATIO JURIDICA

dicemus. Planè licet in plurimis emptio venditio , & locatio conductio convenient, in eo tamen maximè differunt, quod in emptione & venditione, si vendor sit dominus , traditione facta, dominium transferat in emptorem *lege 11. §. 2. ff. de att. emp.* in locatione autem & conductione , nec dominium, nec possessio civilis, sed sola naturalis rei detentio in conductorem transeat, exceptis paucis casibus, quibus dominium transit , sed hoc admodum irregularare est, & ferè alienum a contractus natura, uti appareat ex *lege 80. §. 3. ff. de contrah. empt.* *lege 39. juncta lege 31. ff. hoc tit.* Quia *lege 31.* docetur si dominium rei transferatur, tum non amplius manere locationem, sed in creditum iri. Ex hoc contractu oritur duplex actio , *Locari nempe, & condncli*, utraque est directa, & est Bonæ-fidei §. 28. *Inst. de att.* Actio conducti datur conductori, ejusque heredi, adversus locatorum & heredes ejus , uti ipsi rei detentio tradatur , & *ut frui liceat*, & non solum conductori, sed & ei , cui conductor rursus locavit rem , sublocatio enim licita est , hæc quæ dixi extant *lege 15. princ. & §. 1. lege 19. §. 8. ff. hoc. lege 6. lege 10. Cod. hoc tit.* Si autem locator conductori quid dolo aut culpâ suâ præstare nequeat , ad intercessione tenetur , si casu fortuito , tenetur adhoc , uti conductorem pro rata mercedis exoneret *lege 15. §. 2. 5. & 7. lege 33. lege 45. ff. hoc tit.* Excipe casum legis 19. §. 2. ff. eod. de dolis locatis, quia qui ea locat, tacite promittere debere videtur ea bona esse. Hæc actio conducti locum quoque habet , si conductor necessarias vel utiles impensas in rem conductam fecerit ad eas repetendas *lege 55. §. 1. ff. hoc tit.*

Actio locati datur locatori , ejusque heredi, adversus conductorem, ejusque heredem, adhoc uti merces solvatur, una cum usuris, si mora intervenerit , & uti omne promissum præstetur, & uti finitâ conductione res restituatur, quæ si deterior restituantur , restituta non videtur , nisi hoc casu fortuito factum sit, is enim nec hic nec alibi in judiciis Bonæ-fidei præstatur *lege 23. ff. de reg. jur.* hæc quæ dixi probantur ex *lege 17. Cod. hoc lege 24. Cod. eod. & §. 5. Inst. hoc tit.* Venit in has actiones dolus , culpa lata & levis , quia utriusque utilitas vertitur *lege 5. §. 2. ff. Comod. lege 23. ff. de reg. jur.* In hoc contractu locationis conductio-

ductionis (sicut & in cæteris, judiciis Bonæ-fidei) si de re conducta restituenda agatur, si res non restituatur, in item juratur lege 48. §. 1. ff. hoc tit. Hinc notetur differentia (quam supra consulto, suo loco, omisimus in actionibus Bonæ-fidei, ubi de restituenda re agitur, in item jurari, in judiciis stricti juris non item lege 5. & 6. ff. de in lit. jurando lege 4. Cod. de act. empt. & vend. Excipe casum legis 5. §. 4. ff. de in lit. jur. ubi & in actione stricti juris in item juratur.

## C A P U T I X.

## QUO DE SOCIETATE AGITUR.

**H**actenus de locatione conductione. Nunc tribus verbis de Societate agamus. *Societas est contractus nominatus, juris gentium, Bonæ-fidei, consensu initus, quo res quedam circa lucrum & damnum inter Socios communicantur.* lege 7. §. 1. ff. de pact. §. 2. Inst. de jur. nat. gent. & civ. §. 28. Inst. de act. princ. Inst. de obligat. ex cons. lege 1. & seqq. ff. hoc. Societas potest contrahi vel re, vel verbis, vel per nuntium lege 4. ff. pro Socio. Contrahitur autem vel in perpetuum, hoc est dum socii vivunt (nam in perpetuum, hoc est in æternum Societas contrahi non potest lege 70. ff. hoc tit.) vel ad tempus, vel ex tempore, vel pure, vel sub conditione lege 1. ff. hoc tit. lege 6. Cod. cod. Societas hæc primariò personas spectat, per consequentiam ad res, & distinguitur a communione, tanquam species a genere, communio enim est absque periculis lucri & damni, societas est communio cum periculo lucri & damni lege 31. & 32. ff. hoc tit. Coitur autem vel omnium bonorum societas, vel certæ cuiusdam rei lege 5. ff. hoc. princ. Inst. cod. Omnia bonorum societas, vel simpliciter potest contrahi vel specialiter, si simpliciter, tum ea tantum, quæ ex quæstu veniunt communicantur. non quæ ex amicitia & benevolentia alterius descendunt lege 7. 8. 9. & seqq. ff. hoc tit. Si verò specialiter omnium bonorum societas contracta sit, tum omnia communicantur, quæ acquiri possunt, licet non ex quæstu, sed aliunde veniant lege 3. §. 1. ff. hoc tit. Qui Societatem coit,

## 42 DISPUTATIO JURIDICA

coit, rei suæ dominus esse non definit, sed partem tantum socio-communicat *lege 13. §. 1. ff. de prescript. verb.* Hæc societas contrahi potest inter personas quoque, quæ æquas facultates non habent, cum opera unius, alterius facultates exæquare possit *lege 5. §. 1. ff. hoc tit.* Potest & ita societas contrahi, ut unus pecuniam solus conferat, alter operam *lege 1. Cod. hoc tit.* Non potest contrahi societas, ut unus solus & pecuniam & operam conferat, alter nihil, quia hæc donationis causa contracta societas videretur, donationis autem causa societas contrahi non potest *lege 5. §. 2. ff. hoc tit.* Non potest ita contrahi societas, ut alter lucrum tantum, alter tantum damnum habeat *lege 29. §. 2. ff. hoc tit.* ubi talis societas Leonina appellatur a Cassio jCto, ductâ vocis origine a fabula de venatione Leonis, vaccæ, capellæ & ovis, quam (ut elegantem) ex Phcedri libro 1. fab. fabula 6. addere lübet, ea hæc est :

*Nunquam est fidelis cum potente societas:*

*Testatur hæc fabella propositum meum.*

*Vacca, & Capella, & patiens ovis injuria*

*Socii fuere cum Leone in saltibus.*

*Hi quum cepissent cervum vasti corporis,*

*Sic est locutus partibus factis Leo:*

*Ego primam tollo, nominor quia Leo;*

*Secundam, quia sum fortis, tribuetis mibi;*

*Tum quia plus valeo, me sequetur tercia:*

*Malo adscietur, si quis quartam teigerit.*

*Sic rotam prædam sola improbitas abstulit.*

Si in coëunda societate de partibus lucri & damni nihil cautum fit, & æqualis collatio facta sit, æquæ partes lucri & damni esse debent, quod si convenerit, ex partes servandæ sunt, quæ expressæ sunt, & si convenerit, ut alter duas aut tres partes ferat lucri, ea conventio tum valet, si is quid plus societati contulerit aut pecuniae, aut operæ, aut alterius rei *lege 29. ff. hoc tit.* ex qua *§. 1. Inst. hoc tit.* explicandus est. Si in arbitrium tertii definitio partium collata sit, tum idem observandum est, quod supra

supra in emptione diximus, uti appareat ex lege 75. & seqq. ff. hoc tit. Ex societate oritur actio pro socio, quæ semper directa actio est. Hæc datur socio, adversus socium, non adhoc uti distrahatur societas, & res communis dividatur (tum enim communi dividendo judicio agitur lege 1. ff. comm. divid.) sed uti res communicetur lege 74. ff. hoc tit. & uti præstationes personales ejus rei nomine prætentur lege 1. ff. comm. divid. nam si unus in re communi damnum dederit, ad hoc resarcendum, hæc actione teneatur lege 47. §. 1. lege 48. 49. & 50. ff. hoc tit. similiter si socius in re communis damnum passus sit, licet id fato evenerit, hæc actione agere potest, uti reliqui hoc ipsi resarciant lege 52. §. 4. ff. hoc tit. Similiter competit hæc actio de fructibus perceptis communicandis, & impensis resarcendis lege 38. §. 1. ff. hoc. tit. Hæc actio heredi de eo negotio datur, quod defunctus inchoavit l. 40. ff. eod. datur & in heredem ut bonam fidem præstet l. 35. & duab. sequent. ff. hoc tit. Venit in hanc actionem dolus, culpa lata, & levis lege 5. §. 2. ff. commod. §. 9. Inst. hoc tit. lege 72. ff. eod. In hac actione singulare hoc est, quod socius, socio non in solidum, sed in id quod facere possit condemnetur, cum societas jus quoddam fraternitatis in se continere videatur, idque verum est, sive sit socius omnium bonorum, sive certæ rei lege 63. ff. hoc titulo. Unde in lege 16. ff. dere judic. videtur addenda aut subintelligenda vox &, aut vox, potissimum. Hoc autem competentia beneficio is socius non gaudet, qui bona sua dolo malo erogat aut dissipat, aut qui se socium esse negat lege 6.7.5. & 1.68. §. 1. ff. hoc titulo. Finitur societas quatuor modis 1. Renuntiatione. 2. Morte. 3. Maximâ & mediâ capitis diminutione. 4. Egestate lege 4. §. 1. ff. hoc. tit. Finitur autem non solum aperta renunciatione, sed & tacitâ, si socii separatim sibi agere caperint lege 64. ff. hoc. tit. Si aperta renunciatio bona fide facta sit, tum renuntians socios suos amplius convenire non potest, ipse tamen a sociis suis conveniri potest, ita ut lucra, quæ accepit, sociis præstare cogatur, damna autem solus sustinere teneatur lege 65. §. 3. & 4. ff. hoc. tit. Morte unius socii in tantum societas finitur, ut ne reliqui quidem socii societatem continuare possint, nisi aliter ab initio convenit, heres autem

defuncti in locum non succedit *lege 65. §. 9. ff. hoc tit.* imo ne quidem ab initio socii ita pacisci possunt, uti hæres in locum defuncti succedat *lege 59. ff. eod.* sic est in societate private rei, sed in societate publica vectigalium aliud dicendum est, ibi enim durat societas uno socio extincto, nisi is mortuus sit, qui principaliter coitam societatem sustinebat *lege 59. ff. hoc tit.* Finitur & societas morte civili, hoc est maximâ & mediâ capitis diminutione, intereunt etenim homines jure civili non solum morte, sed & maximâ & mediâ capitis diminutione *lege 63. §. 10. ff. hoc tit.* Tandem finitur societas egestate socii *lege 4. §. 1. ff. hoc tit.* veluti cum omnia socii bona publicantur, tum enim cum alius (fiscus nempe) in socii locum succedat, socius pro defuncto habetur *lege 65. §. 12. ff. hoc tit.* idem dicendum est, cum socius mole debiti prægravatus bonis suis cessit *§. 8. Inst. hoc tit.* aut si creditores bona socii divendant *lege 65. §. 1. ff. eod.*

## CAPUT X.

## QUO DE MANDATO AGITUR.

**H**Aec tenus de societate. Nunc tandem de Mandato quædam addamus. *Mandatum est contractus, consensualis, nominatus, juris gentium, Bone-fidei, quo negotia quadam aliqui gratiâ gerenda committuntur lege 7. §. 1. ff. de pact. lege 2. ff. de oblig. & act. §. 2. Inst. de jur. nat. gent. & civ. §. 23. Inst. de act. lege 1. princ. & §. 4. ff. mandati.* Mandatum contrahitur quinque modis, sive mandantis tantum gratiâ, sive mandantis & mandatarii gratiâ, sive aliena tantum gratiâ, sive mandantis & aliena gratiâ, sive mandatarii & alterius gratiâ, mandatarii autem tantum gratiâ si mandetur, nulla ex eo mandato obligatio, nulla actio oritur *princ. Inst. hoc tit. lege 2. princ. §. 1. 2. 3. & seqq. ff. hoc tit.* Nam si mandatarii tantum gratiâ quid mandetur, magis consilium, quam mandatum est, & propterea non est obligatorium, liberum enim cuique est apud se explorare expediatne sibi consilium datum, nec ne, & si expediat sequatur id, si non, omittat *lege 2. §. 6. ff. hoc tit.* Nisi tamen dolosum fuerit consilium, tum enim actioni

actioni doli mali locus fit *lege 2. ff. de Proxeneticis*, aut nisi consilium illud, consilii fines egrediatur, & mandati naturam induat, tum enim obligatorium est §. 6. *Inst. hoc tit. lege 42. ff. eod.* alias si merum consilium sit, obligatorium (uti diximus) non est. Non solum ex consilio quis non tenetur, sed nec ex commendatione *lege 12. §. 12. ff. hoc titulo.* Mandatum est vel generale vel speciale, generale quando alicui omnes causæ, omniaque gerenda negotia mandantur; speciale, quando una aliqua causa, aut negotium mandatur. Generale mandatum rursus Interpretes dividunt, in mandatum simplex, & mandatum cum libera. Simplex esse dicunt, cum simpliciter omnium rerum mandata est administratio, & tum potest mandatarius administrare omnia, sed nihil sine speciali domini mandato alienare, nisi fructus, aut alias res, quæ servando servari non possunt *lege 60. & 63. ff. de procurat.* Mandatum cum libera esse dicunt, cum cui omnia negotia mandata sunt, hâc additâ clausulâ, uti omnia liberrimè agere possit, non aliter ac si ipse sit dominus, potestque tum omnia facere, quæ bonæ fidei non contrariantur *lege 58. & 59. ff. de procurat. lege 60. §. 4. hoc tit.* Mandatum est vel expressum vel tacitum. Expressum ubi expressè consensus adhibetur. Tacitum ubi consensus præsumitur *lege 6. §. 2. ff. hoc tit. lege 18. & lege 53. ff. eod.* Sic, si ab initio mandatum non intervenit, sed postea ratihabitio facta sit, mandatum esse videtur, retrotrahiturque ratihabitio ad initium negotii, qui enim pro se quid fieri scit, nec vetat, mandare intelligitur *lege 60. ff. de Reg. Jur. lege 7. Cod. ad Senatusc. Macedon.* Mandatum potest fieri, & purè, & in diem differri, & sub conditione contrahi *lege 1. §. 3. ff. hoc tit.* Imprimis autem in mandato requiritur, uti consensus contrahentium adsit *lege 1. ff. hoc tit.* quomodo autem hic consensus interpositus sit nihil refert, sive inter præsentes per qualiacunque verba, aut scripturam, sive inter absentes per nuntium vel epistolam *lege 1. §. 1. & 2. ff. hoc tit.* Præterea vel maximè hoc requiritur uti mandatum sit gratuitum, est enim (uti antea diximus) contractus, quo quis mandato alterius, aliena negotia gerenda suscipit, sed G.R.A.T.I.S, ideoque si merces aliqua intervenerit, mandatum non est; fed locatio conductio contracta intelligitur *lege 1. §. 4. ff. hoc tit.*

## 46 DISPUTATIO JURIDICA

Planè licet merces intervenire non possit, honorarium tamen re-  
ctè intervenire potest *lege 6. ff. hoc tit.* Oritur ex hoc contractu  
actio mandati, quæ Bonæ-fidei est §. 28. *Inst. de act. lege 29. §. 4.*  
*ff. hoc tit.* ubi observa egregium dictum *Bonæ-fidei non congruit,*  
*de apicibus juris disputare.* Mandati actio est duplex vel directa,  
vel contraria, inde *Rubrica Pandectarum & Codicis Mandati vel*  
*contra.* Directa actio est, quæ principaliter ex ipso contractu de-  
scendit, & ideo principalis quoque actio dicitur *in lege 17. §. 1. ff.*  
*commod.* Directa hæc actio datur mandanti adversus mandatarium,  
ut mandatum negotium impleat, aut si hoc non faciat, neque  
tempestivè mandato renunciet, uti tum interesse præstet *lege 22.*  
*§. 11. lege 27. §. 2. ff. hoc tit.* Si ergo re integrâ mandato renuncia-  
tum est, cessat hæc actio dictâ *lege 22. §. 11. ff. eod.* similiter si nihil  
mandatoris intersit mandatum impletum esse, cessat hæc actio  
mandati *lege 8. §. 6. ff. hoc titulo.* Dixi cessare hanc actionem, si,  
re integrâ, mandatarius mandato renunciaverit, quæ renunciatio  
fit vel ob aduersam valetudinem, vel capitales inimicitias, vel  
ob inanes rei actiones, seu ob aliam justam causam *lege 23. 24.*  
*& 25. ff. hoc tit.* similiter finitur hic contractus si mandator revo-  
cet mandatum, licet re non integrâ, dummodo eo casu manda-  
tor mandatario præstet, quod ejus interest §. 9. *Inst. hoc tit.* sol-  
vitur quoque mandatum morte unius contrahentium, nisi jam  
vivo uno res inchoata sit, cum ipsi de morte alterius non consta-  
ret, tum enim utilitatis causa adhuc actio competit *lege 26. ff. hoc*  
*tit.* In mandato præstari debet, dolus & omnis diligentia *lege 13.*  
*& 21. Cod. hoc tit.* Quia qui mandatum suscipit, omnem diligen-  
tiam promittere videtur, unde hæc exceptio est a regula *legis 5.*  
*§. 2. ff. commod.* Ex hoc contractu descendit præterea actio con-  
traria, quæ contra seu invicem datur, hæc potest actioni direc-  
tæ per modum exceptionis opponi, vel si directa non movea-  
tur, potest & per modum actionis proponi *lege 17. §. 1. ff. com-*  
*mod.* Hæc actio datur mandatario, adversus mandantem, adhoc  
uti impensas factas, & omne quod ei abest consequatur, *lege 12.*  
*§. 7. lege 27. §. 4. ff. hoc tit.* non tamen ea mandatarius conseque-  
tur, quæ potius casu fortuito, quam ex mandato erogare debuit  
*lege 26. §. 6. ff. hoc tit.* In utraque actione tam directa quam con-  
traria,

traria, veniunt & usuræ & fructus juxta naturam judiciorum Bonæ-fidei *lege 12. §. 9. item lege 10. §. 2. & 3. 8. & 9. ff. hoc tit.* Actio mandati contraria cessat, si mandatarius mandati fines non servaverit, sed eos egressus sit, licet directa eo casu adhuc competit *lege 5. princ. & §. 3. lege 41. ff. hoc tit.* Præterea cessat hæc actio, si quis mandatu alicujus negotium gesserit, quod sciebat, ei qui mandat non profuturum, veluti si juvenis mandet alicui, ut pro meretrice fidejubeat, vel uti meretrici pecuniam credat *lege 12. §. 11. ff. hoc tit.* Præterea cessat, si quis invito domino negotia gesserit *lege 40. ff. hoc tit.* Cessat præterea mandati actio contraria ob insignem rei mandatae turpitudinem, ut si mandatum interveniat de re sacra, aut æde sacra spolianda, homine occidendo aut vulnerando *lege 22. §. 6. ff. hoc tit.* imo nec directa actio mandati de re turpi facienda locum habet *lege 6. §. 3. ff. hoc titulo.* Quid si Titius mandaverit Sempronio, ut is Mævium occideret, & is hoc fecerit an non oritur obligatio? oritur ex delicto, & non solum Sempronius, sed & Titius, ut homicida punitur *lege 15. princ. & §. 1. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. lege 5. Cod. de accusat. & inscript.*

## C A P U T X I.

QUO TRES QUÆSTIONES COROLLARIORUM LOCO PROPONONUNTUR  
ET DECIDUNTUR.

**H**abes hic (*Benevolè Lector*) verbo explicatos quatuor contractus consensuales Bonæ-fidei, nunc transeundum esset ex ordine nostro supra proposito, ad contractus reales, & deinde ad cæteras Bonæ-fidei actionum species, sed quia tum disputatio nostra ultra terminos justos excresceret, hic pedem fitimus multorum amicorum suasionibus inducti, qui nobis idem consilium dabant, quod *Farisconsultus Ulpianus aliis* (licet in alio prorsus negotio) *dabat in lege 1. ff. de inoffic. testam.* nempe melius nos facturos, si hic subsisteremus, neque nos operis & sumptibus inanibus ultra vexaremus, cum ex eorum, quæ sequuntur expli- catione,

## 48 DISPUTATIO JURIDICA

catione, laudis alicujus obtinendæ spem non haberemus, quam tamen nec ex aliis antea dictis speramus aut sperare possumus, sed potius veniam pro laude expostulamus, si quid benè dictum sit, quod laudem mereatur, pro eo gratias agimus Divinæ Clementiæ, per quam omnia, quæ novimus, novimus; si quid perperam sit dictum, nostræ humanæ infirmitati tribuatur, quæ facilè excusanda erit bonis omnibus. Veniam ergo ate (*Benevolè Lector*) petto, quod promissa antea, non præstem sed hic subsistam, quam facile a te, qui candidus es & benevolus, supra dictis consideratis rationibus, impetraturum spero me. Malos autem, Momos & invidos jam dudum contemnere & flocci nihilive facere didici. Antequam tamen subsistam, tres propono quæstiones, quas in sequentibus explicassem, quas hic, tanquam corollaria propono, prima erit, quænam culpa veniat in actione pignoratitia, secunda quomodo stipulatio de dote possit esse actio Bonæ-fidei, tercia, quomodo hæreditatis petitio possit esse actio Bonæ-fidei.

Inter actiones Bonæ-fidei numeratur actio pignoratitia, quæ duplex est, directa, vel contraria *vide Rubricam ff. de Pignoratitia actione, vel contra.* Directa datur debitori, adversus creditorem, adhoc, uti sublatu debito, pignus restituatur *l. 9. §. 3. ff. de pign. act.* Actio contraria datur creditori, adversus debitorem, adhoc uti si quas impensas fecerit, eas consequatur. Quænam culpa in hac actione præstanda sit? Et si regulam supra allegatam ex *lege 5. §. 2. ff. commod.* consideremus, apparebit in hac actione præstari, dolum culpam latam & levem, quia in pignore utriusque utilitas vertitur, debitoris uti èd promptius pecuniam accipiat, aut acceptam retinere possit, creditoris, uti securus sit de debito non amittendo, plus enim ei cautionis in re est, quam in persona *lege 25. ff. de Reg. jur.* Et sic expressè dicitur in *lege 5. §. 2. ff. commodat.* & *lege 14. ff. de pign. act.* in pignore præstari culpam tantùm levem. Dubium tamen egregium movet *lex 13. §. 1. ff. de pign. act.* quæ innuere videtur in pignore quoque præstari culpam levissimam, Ait enim ita *dictus §. Venit autem in hac actione & dolus, & culpa, ut in commodato: venit & custodia: vis major non venit.* Variè a variis hæc lex exposita est, sed interpretatione vix ab absurditate absolví potest, veniendum ergo

ergo ad ultimum remedium , correctionem nempe , quam hæc lex admittere videtur. Quidam ergo pro *in commendato* , legunt *ut in commendato* , uti hic legis sensus sit , eam hic culpam venire , quæ venit in commendato , id est deposito (*commendare enim nihil aliud significat* , quam deponere lege 186. ff. de verb. signif.) in quo venit culpa tantum lata , quia ibi unius tantum deponentis utilitas est *lege* 5. §. 2. ff. *Commodati* , quæ correctio si admittatur , composita pugna est. Sed cum in obscuris id quod minimum est , sequendum sit lege 9. ff. de reg. jur. magis arridet conjectura Clarissimi & consultissimi viri Gerardi Noodt præceptoris nostri , nobis nullo unquam tempore satis suspicendi , quam adduxit libro *Probab.* capite 4. & latius explicavit in Disputatione quâdam *Franequera* habitâ 16. Maji , anno 1683 , ubi retentâ voce *commendato* , unicam tantum literam mutat , legens pro *m.* at. Quam conjecturam ideo potius amo , quod Ulpianus eodem libro 28. ad Edictum egerit de *commendato* & de *pignore* , de deposito autem egerit libro 31 , unde magis Ulpianus *commendatum* & *pignus* inter se exæquasse videri potest , quam *commendatum*. Et ex eo libro 28. ad Edictum puto hanc ipsam legem 13. desumptam esse , licet inscriptio habeat *Ulpianus* libro 38. ad *Edictum* , nam libro 28. Ulpianus egit de *commendato* & *pignore* , libro verò 38. egit , de furto a servo , qui testamento liber esse jussus erit , & de furto a publicanis , & familia eorum facto , & de libertorum operis , uti ex legibus Ulpiani sub dictis titulis patet . vid. *Gothofredum in serie Edicli perpetui* , ex quo libro , quomodo hæc lex esse possit , nullus video , puto ergo eam esse ex libro 28. (quæ conjectura placuit *doctissimo Labitio in usu indicis sui pag. mibi 392.*) ex quo plerique leges Ulpiani sub titulo de *Pigneratitia actione sumptæ* sunt.

Inter Bonæ-fidei judicia numeratur §. 29. *Inst. de act. actio & stipulatio de dote* , quæritur quomodo hoc fieri possit , cum stipulatio sit talis contractus , ex quo ab una tantum parte præstatio est , ideoque stricti juris *lege* 5. §. 4. *lege* 6. ff. de *in lit. jurando* . Responso facilis est , nempe quod hic ab ea regula exceptio sit , propter naturam actionis rei uxoriæ , in cuius locum hæc actio ex stipulatu successit , uti apparet ex *lege unica* §. 2. *Cod. de Rei uxor. act. actio-*

50 DISPUTATIO JURIDICA INAUGUR.

nem autem rei uxoriae Bonæ-fidei fuisse ex Cicerone libro 3. de officiis supra probavimus, ubi dicit formulam ejus fuisse, quod aquilus melius judicato, cuius formulæ vestigium quoque extare videtur in lege 66. §. 7. ff. sol. marr. quemadmodum dos repet.

Inter Bonæ-fidei judicia numeratur petitio Hereditatis §. 28. Inst. de actionibus. Quæritur quomodo hoc fieri possit, cum ea in rem actio sit, & ab una tantum parte propterea præstationem habere videatur. Respondetur, propter eam rationem de ea quoque inter Jurisconsultos dubitatum fuisse, esset ne Bonæ-fidei, nec ne ? alios tamen eam actionem Bonæ-fidei esse intrepidè statuisse, propterea quod multitudo rerum, quæ in hæreditate crant, exigere videtur fidelem earum administrationem, jam autem cum ea administratione possessori committeretur, siebat uti petitio, licet actio in rem, multas præstationes personales reciperet, tanquam ex negotio gesto, & sic ex obligatione, quales præstationes sunt eorum, quæ à debitoribus exacta sunt, rerum venditarum pretiorum, item eorum, quæ possessor creditoribus solvit, vel in hæreditarias res impendit, quæ res fecit uti hæc esset mixta personalis actio lege 20. lege 25. §. 18. lege 38. ff. de hered. petit. lege 7. Cod. eod. atque sic ab utraque parte iam præstatio est, ideoque rectè inter judicia Bonæ-fidei numeratur, præsertim cum hanc sententiam Justinianus Imperator confirmaverit §. 28. Inst. de act. & lege 12. §. 3. Cod. de hered. petir. Atque hic (Benevoli Leitor) subsisto, & quamvis satis materiæ sit disputationis in his, quæ diximus, in eorum tamen gratiam, qui integrum disputationem percurrere gravè ferrent, hæc sequentia apposui ultima fercula seu BELLARIA.

## Bellaria Constantia Thesibus Variis.

- 1 Eteres pubertatem ex corporum inspectione estimasse putamus.
- 2 Inviti adolescentes Curatores non accipiunt, praterquam in item, ad actum reddendarum a Tutoribus rationum, & ad solutionem a debitoribus faciendam.
3. Bonae-fidei possessor lucratur omnes fructus tam naturales, quam industrielles.
4. Iudex in criminibus eandem poenam praeceps infligere non tenetur, quam Moyses olim statuit in Republica Judaica.
5. Antinomias (sed non multas) in jure dari afferimus.
6. Plures exheredationes causas, quam in Novella 115. capite 3: enarrata sunt, dari negamus.
7. In judicando sequi debet iudex acta & probata, neque tamen contra conscientiam judicare debet.
8. Pater filio exhereditato Tutorem testamento dare potest.
9. Mater pupillariter substituere non potest.
10. Meretrix de pecunia accepta condictione ob turpem causam non tenetur, quia dantis sola turpitudine est.
11. Principium legis prime. D. de Concubinis petenti explicabimus.
12. Concubinatum, tam jure Canonico, quam Civili, licitum suisse affirmamus.
13. Inter nuptias & matrimonium distinguimus, illae sine in domum deductione complete non fuerunt, hoc fuit & solo consensu ratum & perfectum.
14. Defensionem sui juri naturali adscribimus.
15. Invocationem nominis Divini in instrumentis fieri pietas suadet, necessitas autem juris non exigit.
16. Transaction facta de controversia testamentaria, non inspectis testamenti verbis, Jure Civili valet.

F I N I S.

L O E - G E D I G T E N  
 Ter Eeren van de  
 HEER CANDIDAET  
**SUFFRIDUS DE BUCQUOY.**  
 DAT JUSTINIANUS HONORES.

(a) arg. §.  
 l. Inst. in  
 proem.  
 (b) §. 3. eod.  
 (c) l. 2. §.  
 35. ad fin.  
 tit. ff. de  
 orig. jur.  
 (d) l. 1. §.  
 l. in pr. ff.  
 de just. &  
 jur.  
 (e) l. 9. pr.  
 Cod. de ll.  
 §. 2. proem.  
 Inst. in pr.  
 (f) §. 3. Inst.  
 de just. &c  
 jur.  
 (g) l. 6. ff.  
 eod.  
 (h) l. 4. l. 10.  
 Cod. de ll.  
 (i) l. 3. 1. 9.  
 Cod. 1. 8.  
 ff. cod.  
 (k) §. 2.  
 proem.  
 Inst.  
 (l) §. 3. eod.  
 vid. porro  
 histor. jur.  
 (m) d. §. 3.  
 §. 9. &c 10.  
 deconfirm.  
 digestor. d.  
 l. 12. §. 35.  
 ad fin. tit.  
 de orig. jur.  
 (n) arg. §.  
 3. proem.  
 Inst.



Oorneuselt men met vlijt  
 d'Aloude Roomscche tijt,  
 Daar merckt men Helden-daden (a)  
 Jaa m'oogt d'ontsloote wijsheyts schat  
 Der rechten wieg en baker-mat (b)  
 En *Themis* puyk-cieraden. (c)  
 Men siet haar Priesters-schaar, (d)  
 Die d'Heyl'ge (e) Wet-Altaar  
 Der burgerlycke seeden (f)  
 Uyt vrou natyrs weetrijcke schoot  
 Opbaggert (g) die van kleyn en groot (h)  
 Jaa all' wort aangebeeden. (i)  
 Men vind'er folk in 't werck  
 Die 't woeste *Wetten-perck* (k)  
 Met herlens t'samen klincken (l)  
 En met doorsoute weetenchap  
 Op d'hoogste praal en *eren-trap*  
 Als flicker-sterren blincken. (m)  
 Dit sett' u yver aan,  
 MYN VRIENT, oock 't spoor te gaan  
 Van die besaamde Helden,  
 Gy gingt dan strack in 't Fries' *Atheen*  
 U keeftig breyn met vlijt bestee'n  
 In d'eerste *Wetten-velden*. (n)  
 Dat koeld' noch niet u lust;  
 Gy wraact dan Frieso's kust  
 En gaat tot Utrecht spoeyen,  
 Doch niet uyt yver tot dat landt  
 Maar tot u *leyd-star*, dien *Gesant*,  
 Die *Themis* recht doet bloeyen.  
 't Was dien beminde NOODT  
 Die u tot Utrecht noodd.

Sijm

Sijn lof noopt alle monden  
 Sijn loffelycke seedigheyt,  
 Spijsvondigheyt welspreekentheyt  
 Geleertheyt (o) te verkonden.  
 Door hem hebt gy nu 't sap  
 Van 's rechtens-weetenschap (p)  
 Soo gratigh ingesogen,  
 Dat *Themis* u nu maacken wil.  
 Tot voorpraak (q) van haar *rechts*-geschil  
 En daar na meer verhoogen. (r)  
 Gy treedt dan op den stoel  
 Voor yder een ten doel,  
 En leert, tot 's werelts voordeel,  
 't Verkeerd folck, trouw' en billyckheyt  
 Te stellen voor de bitsigheyt  
 Der *Wetten* (s) met goedt Oordeel. (t)  
 Maar 'k sie daar nu terftont  
 Die op een glibber-gront (u)  
 Haar breyn daar teegen wetten:  
 Sacht Heeren! spaart die yd'le moeyt'  
 BUCQUOY is veel te vast begroeyt  
 In't spoor van 's *Keyfers Wetten*. (w)  
 Dat wierdens' haast gewaar;  
 Met koomt de *Letterschaar*  
 Een luk-wensch uyt te schat'ren.  
 Daal nu vergode Maagde-Rey,  
 Deun op met lief'lijck maat-gevley  
 Laat d'Helicon eens klat'ren.  
 Ter eeren van mijn vrient  
 Hy heeft 't met sweet verdient,  
 Hy is den Lauwer waardigh.  
 Koomt FAMA ! beurt dees jong'lings lof  
 Van d'aard' uyt het vergeetel stof,  
 Soo loont gy hem rechtvaardigh.  
 Daar wort mijn Vrient geleydt  
 Voor *Themis* MAJESTEYT  
 Sy wil daar nu betoonen  
 Dat hy is tot haar dienst bequaam  
 En gaat hem met een Eeren-NAAM (x)  
 Na sijn verdiensten kroonen. (y)

G 3.

(o) arg. L.  
 Unic. Cod.  
 de Profef-  
 for qui in  
 urb. &c.  
 (p) §. I.  
 Inst. de just.  
 & jur.  
 (q) l. 14.  
 Cod. de  
 advocat.  
 diverf. ju-  
 dicator  
 (r) arg. l. 4.  
 Cod. de ad-  
 voc. diverf.  
 judic.  
 (s) l. 8. Cod.  
 de jud. l. 9.  
 l. 85. §. fin.  
 l. 183. ff. de  
 Reg. jur. l.  
 3. in med.  
 ff. de his  
 que in te-  
 ftam. de-  
 lent.  
 (t) l. 29. §.  
 4. in fin. ff.  
 mandat. §.  
 28. Inst. de  
 action.  
 (u) arg. I.  
 17. ff. de ll.  
 l. 6. §. 1. ff.  
 de verbor.  
 signif.  
 (w) l. 24. in  
 fin. que in  
 fraud. cre-  
 ditor.  
 (x) l. 4. pri.  
 Cod. de ad-  
 vocat. di-  
 versf. judic.  
 pluraSyno-  
 nima vid.  
 in proem.  
 pandectar.  
 §. 6.  
 (y) arg. I.  
 Nu II. §. I.  
 Cod. de ad-  
 vocat. diverf. judicior.

Nu sult gy 't matte recht  
Op'schraagen: en 't onrecht  
Van *Themis* VIERSCHAAR wende  
(z.) arg. 1 En fry'en haar van loos verraat (z.)  
14. eod. Tot dat u dierb're leevens-draat  
ROEMRUCHTICH loopt ten  
E Y N D E.

*Sic, pro virili, applaudens cecinit, amicitia  
vinculo tibi devinctus*

*Symbolum.*

THEODORUS NAUTA. J.C.  
TANGE BENIGNE NÆVOS.

(2)

## N A S A N G

Volgens de toon van de *Friese Klaterrei*

S A N G

**M**In loome Sangnimf hoort (wat of 't bedrust!) het klateren  
Der voeten, 't klappen in de handen, en het schateren  
Der tongeleden, so dat uit d'Utrechtse lucht  
Het snel gevlerkt' gerucht na Friesland neemt de vlugt:  
Het is misschien een troep van Mavors Voedsterlingen,  
Die na de Franse toon op mensche schonken singen:  
Of is 't een vreugd-geluud om dat een Leitterhoofd  
In Utrecht een Heleen van Venus is belooft?  
Of is 't om dat een Jongeling des Keisers vonden  
(Om d'eer van 't Priester-kleed) geleert heeft te doorgronden?  
Gewis: maar wie 't mag sin, dieulk werk durv bestaan  
Is mi onmooglik om daar na te kunnen slaan.

T E G E N S A N G

Het is BUCQUOY, die 't hoog gefoelte durv beklateren  
Van *Themis* Tempel, en met open monde utschateren  
Haar' goddelijke weit, so dat de taie ligt  
Dat trammulerend' draagt tot ieder als ter vlugt.  
Het is BUCQUOY, een praal van Pallás Voedsterlingen,  
Die mit een gladde tong' op 't herelikf' te singen  
Weet na den hoogsten noot des Grooten Noodts, wiens hoofd  
(Vol wijsheid) door geheel Europa word gelooft  
Het is BUCQUOY, die door veel' treffeliike vonden  
Der regten (uit Vrouw *Themis* grondeloose gronden) Voor

Voor sweet gewoekert) dien, die regens hem bestaan  
Te twisten, ridderlijk ter neder weet te slaan.

T O E S A N G.

Daar koomt een Maagde rei (in sijd gedofft) aanklateren,  
(Van Themis untgerust) die t' saam uw' lov utschateren  
Met schelle keelen, die (we ergalmende de ligt)  
Unt 't swart' vergetel stov na 't sterren-dak toevligt;  
Si seggen: Praalstukk van Minervas sungelingen!  
Wi sun gesonden om uw' glori-roll' te singen,  
En 't Dafnise Lauw' rier te kronk'len om uw' hoofd,  
U word iets goddeliiks van ons' Mevrouw beloort,  
So gi getrouw bewaakt haar Altaar, en haar' vonden  
Als perrelen opbuert uit vnat bestuumde gronden,  
En d'helle schelle Faam sal u ten dienste staan,  
Om over al uw' lov op haar basuun te slaan.

J. van JUKKEMA, Harlinger.

Kensprück  
Sonder ★ End.

( 3 )

**F**In aufgewekter Geist, der Witz und Feuer hegt,  
Sucht nichts, als wie er sich der Erden mög' ent schlagen,  
Und den verdienten Ruhm bis an die Wolcken tragen,  
Die blinde Welt wird zwar hier durch nicht viel bewegt,  
Die lieber sich beym saus mit Krug und Gläfern schlägt,  
Doch muss sie auch davor am Hunger-Tüche nagen  
Und endlich den Verlust der edlen zeit beklagen,  
Wenn Tugend und Verstand den besten preiss wegträgt  
Sein Ehren-Tag lässt uns hiervon die Warheit sehen,  
Geehrsten, man sieht Ihn nun bey den Lehrern stehen:  
Astraea setz Ihm selbst den theuren Purper auf.  
Wir wünschen alle Glück zu diesen hohen Ehren  
Der Himmel wolle bald der selben Glanz vermehren  
Und nach verdiente ziorn den woll geführten Lauff.

Paucula hec in honorem Doctissimi Dn. Can-  
didati amici sui integerrimi L. M. Q. de-  
properabat

M. HARMES U. J. Lic.

## E I D E M.

**M**usa canet, Juvenis docti, præconia laudis  
 Cujus ab ore fluunt, jam dudum mente recepti,  
 Sermones docti; mira dulcedine tineli.  
 Quos hac suppedant solida contenta Sophie  
 Ingenii specimen Divi, dum pulpito ab alto  
*Jus Äquum strictumque docet; dum noxia tela;*  
*Armatas acies, instructas arte Phalanges*  
*Voce suā sternit, Dominus dum vītor ab armis*  
*SUFFRIDUS rediit; sic juris perge perite*  
*Sic sic vītricem cinget tibi Laurea frontem*  
*Et memorem famam sustollet ad Äthera tempus.*

Hasce lineas in certum amicitiae  
 testimonium adscripsit

C. COUTERIER.

**H**ier koomt een destig Jongeling  
 Uyt Friesoo's vrye palen,  
 En gaat tot elks verwondering,  
 Tot Utrecht lof behalen  
 Door sijn geleerden reeden-strijt,  
 En toont sijn wijsheysts oordeel,  
 Die hy met yver ende vlijt  
 Behaalt heeft tot sijn voordeel.

*Strepit inter anser olores.*

FRANS. HARDOMANS.